



D E

CURANDIS HOMINUM MORBIS

E P I T O M E

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

SAC. CAES. ET R. AP. MAJEST. A CONS.
MAGISTRATUS POLITICI ET OECONOM.
MEDIOLAN., FACULTATIS MEDICAE AC
NOSOCOMIORUM PER INSUBRIAM AUSTR.
PRAESIDE, CONGREGATIONIS XENODOCHII
PAPIEN. AD S. MATH. MEMBR., THERAPIAE
SPEC. ET CLINICES IN TICINEN. ACADEMIA
PROFESSORE P. ET O. ACADEMIAR, BEG.
SCIENTIAR. GOETTING. MANTUANAE, ET
ELECT. MOGUNT. TUM SOCIET. PATRIOT.
MEDIOL. ET MEDIC. HELVET. SODALI.

LIBER V.

DE PROFLUVIIS.

PARS I.

9243

02 JUL 2006

INST. MED. FARM.

T. 1000

L. 200 Cent.

84.856

MANNHEMII MDCCXCIV.

Apud C. F. Schwan et C. G. Goetz Bibliop. Aul.

D E

CURANDIS PROFLUVIIS

LIBRI V. PARS I.



CLASSIS QUINTA.

PROFLUVIA.

GENERALIA DE PROFLUVIIS.

§. 463. **S**ub statu valetudinis perfectae, humores, in *animalem* jam *materiam* subacti, alii, per *circulum* vitalem abrepti, in vasis sui generis, aut singulas ad partes decurrent; aut ab istis, vel continuato itinere, vel resorpti, communem ad fontem revrehuntur; alii, ad certos naturae fines exhalati, *secreti*, mox proprios in usus colliguntur; mox, ob continuas necessitates, sine quavis intermissione, per opportunos canales, praefixa in loca distillant; mox, artificio mirabili, qui tardius effluenter, celeriores ad motus coacti, cum impetu prosiliunt; alii, vel inutiles ac superflui, vel ob noxas, quas, diutius detenti, acridores, inferrent, a sanis separari, — hic, vaporis

*Integritas
Corp.*

sub forma, atmosphaerae continuo restitui;
— illinc, communes in alveos guttatum de-
poni, et ab istis, vel, a mole excitatis,
periodice *excerni*; vel insolita liquoris acri-
monia stimulatis, sine noxa *expelli*, obser-
vantur.

Sed et illam, quae necdum penitus in
animalem naturam conversa est, ac tubo
alimentari includitur, *semidigestam* materiam,
ut corpori nutrimento esse queat, tum ven-
triculo, tum intestinis certo temporis inter-
vallo detineri, ac resorbentium vasorum ac-
tioni exponi oportet; atque in ipsis humorum
ciborumque recrementis e corpore eliminandis
natura nequidquam festinat; sed partem isto-
rum, incognitos oeconomiae animalis ad usus,
sine *putredinis* formidine, sibi ipsi reservat,
et custodes, ne citius, et indecora aufuge-
rent, canalium excernentium ad ostia con-
stituit.

*Profluvii
definitio*

§. 464. Quotiescunque vero, aut *solido-*
rumi continentium, aut *decurrentis*, *quiescentis*
contenti in his ipsis *fluidi*, aut utrorumque ex
vitio, vel citius, uberior, quam par est, vel
loco ac tempore non aequis, quae diutius,
aut semper ex liquidis retineri oportuisset,

amittuntur; toties et statum morbosum, quem *profluvium* vocamus, adesse dicamus. Quas scholae *incontinentias* dixerunt, — a *profluviis* hae aliter non differunt, quam, quod in illis, materia, ad leges naturae, in cavo visceris collecta, ac certum per tempus, peculiaris *vi organi*, et *voluntatis imperio*, retinenda, nolentibus aufugiat; in istis humor aut morbose secretus, aut suis e vasis profusus, vel tempore, vel loco, vel copia insolitis excedat. Ad *Classem* constituendam, vix interest, num febris aliqua hunc statum, — an vero nulla, comitetur; an solidorum vel *impulsi*, vel *cessione*, humores aufugiant: cum illud ipsum, quod impellit, aut relaxat, tam varium, — nec minus, quam febris, aut apyrexia, a *profluvio* distinctum est; quin igitur hanc classem aegritudinum, subtiliores quam par est Nosologi, morborum elencho, qui nusquam istorum indolem et causas, sub naturalis defectu systematis, satis exprimit, excludant. Nos plures hinc morbos, licet indole atque causis, quae innumeras ejusdem rei sectiones exigent, diversos, ob hoc unum, quod fluida, sanitatis praeter leges, perduntur, *profluviorum* sub titulo conjunctim describemus; sed in generum specierumque

divisione, eorundem origines, affinitates, *discrepantias*, ut alibi jam fecimus, sollicite adnotabimus.

Diversitas §. 465. Hoc in opere praestando, diversa liquidorum, quae suis ex alveis, naturae praeter leges, aut *placide distillant*, aut *jugiter effluunt*, aut *cum impetu praecipitant*, natura, dicendorum nobis ordinem suggestet: ut primum, de *serosi*, — mox de *mucosi*, — ac demum de *cruenti* liquoris morboso profluvio, aut simplici, aut aliis tum liquidis tum solidis alimentorum reliquiis *remisto*, disseramus. Mox ut *primaria* hi fluxus affectione, — mox aliorum ut morborum *symptoma* aut *signum*, vel ut longinquae irritationis *consensualis* effectus, — atque nunc *aucto*, nunc *imminuto* sub *Vitalis potentiae* tenore, incedunt; sed frequenter, nunc maximarum aegritudinum, nunc *criticam* ipsius salutis, scaturiginem uberrimam, constituunt. Interim non totius ubique vitio, sed, non raro exemplo, ex *locali*, et ad partem, ex qua humor propullulat, restricta affectione, profluvia, — nunc *acutarum* sub periculo aegritudinum, nunc *chronici* ac *habitualis* fere morbi sub specie, — nunc quovis *sine ordine*, nunc

aequali sub *periodo*, — ac interdum *epidemicae constitutionis* sub imperio manifesto, vel *interne*, vel *exterius*, oriuntur; atque *febre* nunc quamvis, continua, intermittent, nunc vero *nullam*, aut modo *secundarium*, agnoscent.

§. 466. Sub tam densis doctrinae de vero
rerum ortu tenebris, tantarum causas aegri-
tudinum indicare, perardui laboris argumen-
tum est. Hae interim vel in ipso vasorum
aut *universo*, aut *speciali systemate*, — aut
in morbosa, ab istius statu vitioso plerum-
que pendente, *fluidorum* natura, — aut *in
utrisque simul*, quaerendae sunt; et ex illis,
quae (§. 8. 92. 125. 274. 276. 392.) de
solidorum vel *aucta*, vel *imminuta* in fluida
actione, ac istorum de vitiis monuimus, quin
hic singula repetamus, non difficulter eruun-
tur. Vel enim vis motrix humorum a stimu-
lo quounque, universalis, speciali, ultra mo-
dum excitata, nunc *in toto*, nunc *in partibus*,
resistentiam vasorum propriam, ac aetati,
sexui, temperamento competentem, *excedit*,
ac liquida a vinculis, quibus a natura coer-
centur, liberando, ea ipsa *cum impetu* data
porta *expellit*; — vel ipsi, per quos haec

Causae
gener.

Solidorum
actio
aduicta

Imminuita.

ruunt, aut servantur, canales, ob causas multiplices, internas, externas, *languescunt*, a fluidis obruuntur, dilatantur, ac per oscula extrema, vel per ampliata, naturalia parietum, interstitia, vel per novas, violentas scissuras, hæc ipsa *transmittunt*, ac nunc in cava vicina, interne, nunc exterius, *inerves profundunt*; — vel forsitan *glutine* liquidorum animalium naturali, per causas in hoc ipsum agentes, per contagia, miasmata, venena, vel acria ingesta, aliiaque soluto, aut, nutrientis materiae diurno defectu, per haemorrhagias praegressas, *subtracto*, haec ipsa, vel minori sub motu, vel febris sub impetu, aut laterales per poros, aut vasculorum per oras aufugiunt; — vel demum, ratione non satis intellecta, tum solida, tum fluida, a statu sanitatis quamplurimum aberrant, ac reciprocum imperium, et mutuas affinitates, *transfusionis* sic dictae exemplo, deponunt. In ipso interim solidorum vasorumque contextu, ac vitalitatis principio, vel stimulo quocunque agitatis, vel a materia fibris nervisque infensa, vel mechanica ratione, infractis, obtusis, depresso, abolitis, potissimae profluviorum quaerendae sunt origines. Singularis ac hereditaria, aut congenita so-

Tenuitas
humorum?Totius cul-
pa.

lidorum, vel pectoris, vel colli *structura* non paucas, easque *integras*, *familias*, quin labes humorum contribuere videatur, ac sub vivendi ratione meliori, ad pulmonum cerebri-que profluvia disponit, ac *inopinantes* *prae-*
cipitat. Vel sola jam hominis *aetas* diversa, profluviis ex parte corporis nunc ista, nunc illa, magis favet; ac foeminei sicut sexus post alia evolvi perficique solent organa: ita fluxus morbosi ex istis, — alii, vix prius, quam pubertatis ab epocha, — alii, sat raro, nisi partus experto jam ab opere, solidorum certe nervorumque imperio, contingunt. Systematis vasorum libertas ad humorum distributionem requiritur aequalem; et si, alimentis pro universa machinae compage a stomacho robusto huic systemati fideliter transmissis, et hoc in alveo in sanguinem conversis, pars ramorum conspicua, aut membra majoris amputatione ablata, aut *repentina* compressione, aut vi spasmorum, occlusa, contracta, cruentum admittere torrentem recusset: hic ipse non raro, vi cordis non simul intercepta, secretiones quascunque alibi augere, aut certam visceribus violentiam inferre, ac morbosa generare profluvia observatur. Insignis sine dubio *nervorum* in vasa,

quae , sensu licet vix magno instructa videantur , non descripto satis in anatomicis modo , tam copiosi tamen cingunt , et tam sollicite , variis variisque , amplectiuntur , pervadunt , potestas est . Quas non animi violentum pathema hoc in flumine cruento procellas mox provocat ! et quantas , apud hominem fere solum , in praecordiis vasorum injurias haec turbae nervosae producunt ! Vel mitior verecundia candidissimum juvenilis innocentiae vulnus copioso jam sanguine inundat ; sub gaudio non minus , quam sub moerore , ac sub rara cum infelicibus misericordia , mox abundans per genas ruit lacryma ; a terrore , liquida mox alvus , — et sub hysterico insultu pallidissimae urinae copia insignis , deponuntur ; a cibi desiderati vel odore , vel memoria , salivae fontes aperiuntur ; a medicinae , palato molestae , vel rei cuiusvis ingratiae aspectu , tum stomachus , tum intestina evacuantur in aliis : quae , si in sanis adeo hominibus contingent ; quam saepe in morbis a nervorum auctoritate profluvia pendere queant , non difficulter eruitur . Vel ipsam phlogosin , localis nervorum praecedit irritatio , et sub ista tam affluxus humorum increscit , quam secretio augetur , immutatur , et ex va-

sis affectis liquida in cellularem, aut cava vicina exprimuntur; aut seri, muci puriformis, aut sanguinis sinceri per trachaeam, urethram, vaginam, anum, inducit profluvium. Ex vitio contrario, ex uteri a foetu repente liberati debilitate, atonia, abundans puerperae ex sinu crux praecepit: quem sola frigidæ aspersio, genitalibus externis applicatio, ~~nervosæ~~ certe actionis auxilio, coercet.

Hinc rarius, ac scholæ quondam assere. *Plethora.* bant, profluvia ex fluidorum tenuitate scaturiunt; ac si forte talis occurrat: solidorum sine labore vix oritur, et istorum magis culpa humores vasa deserunt in morbis. *Plethorae universalis*, nisi, ut vocant pathologi, *ad vas*, in sanis vix unquam ocurrat exemplum; sed, quod illorum, qui plenitudinis hac specie laborare dicuntur, proclivitatem in fluxus sanguineos ac inflammations inducit, major cordis irritabilitas, ac totius ad stimulos cum impetu subeundos promptitudo est. Si, quem suscipiunt, ac in sanguinem convertunt, succum nutritium, vasa continere, vel auctis secretionibus disperdere non queunt; debilitatis in illis hoc signum est: quae saepius in *localem*, quam in *universi systematis* vasorum affectionem terminatur. *Venarum* illa fere

morbus est: quae scilicet vasa, p^ra^e arteriis, sicut ad crura, ad anum, funiculum spermaticum, quin ad plexum choroideum, in varices et in saccos nodosos dilatantur: ita, sub diffici^li, et cum obstaculis luctante cruralis incessu, circa glandulas infarctas, tuberculorum ad basin, ad ulcera cancriformia, et ad viscera laxiora, ob sanguinem collectum turgere, aut istum, data causa, frequentius periodice, eructare observantur.

Causae secundariae.

Quaecunque hinc, *primo*, tum cordis, tum vasorum actionem per stimulum admotum intendunt; ac res omnes, quas *febris inflammatoriae*, et *inflammationis localis* ut causas adduximus (§§. 118. 125.); sub canarium resistantia ab earum impulsibus superata, ut in ipsa inflammatione vasa integra, laterales per poros, jam faciunt (§. 126.), profluvia quaecunque excitare valebunt. Quae vero, *secundo*, vasorum contextum aut debilitant, aut laedunt, aut nervorum in eundem imperium vel imminuunt, stupefaciunt, suspendunt; vel ob morbosam sensibilitatem (ab ea, quae ad veras inflammations praedisponit, sollicite distinguendam), ad motus spasmodicos, et circulo humorum per partes aequali adversos, vasculosum systema per-

ducunt, — in genere, quae aut *inflammationes* non veras, secundarias, locales, *erysipelaceas*, vel sine ulla, vel saltem inflammatoria sine febre, vel cum illa, quam *nervosam* appellavimus (§§. 50. — 90.), incedentes, accidunt, — aut universalem, localcm in vasorum systemate atoniam progernerant, ac vitalem potentiam in eodem, aut vicino contactu, aut per consensum, infrangunt (§§. 92. 130. 274. 288. 317. 392.), — ea singula profluviorum ut causae considerari mereantur.

Sunt vero causae, imprimis externae, *actio specifica*.
 quae peculiarem, et vix non, ut vocant, *specificam* actionem, solius *stimuli* ratione vix satis explicandam, in partes corporis diversas exercent. Sic morbillorum, scarlatinae, variolarum, syphilitis, contagia, — sic causa, catarrhos, tussimque ferinam epidemice producens, in faucium, et narium, et bronchiorum in primis membranam pituitosam rapiuntur; sic mercurius, quacunque sub forma, cautela, porrectus, salivales mox glandulas, prae parte quacunque, extimulat, — cantharides, afparagus, terepinthina, quin solum jam rhabarbarum, vel sine stimulo in partes alias manifesto, in viarum

urinalium superficiem , actionem potiorem manifestant, etc. Vel sola de obscoenis cogitatione , jam sanguinem genitalibus abundantem transmittit , et fertilis liquoris secretionem , excretionem accelerat; a papillarum ad mammas suctione , lochiorum augetur excretio ; solusque moeror animi , copiosas mox lacrymas profundit : quae singula non ob aliam rationem hic adducimus argumenta ; quam ut actiones naturales , morbosas , non ubique tam a stimuli intensitate majori , aut minori , quam saepe a singulari ejusdem in partem vel istam , vel illam effectu , et a legibus sensibilitatis in quovis organo diversis ac propriis pendere demonstremus .

Prognosis. §. 467. Varia profluviorum , pro humoris , qui disperditur , nobilitate , quantitate , pro celeri , vel magis lenta istius jactura , pro aetatis , temperamenti , sexus , ac morbi ratione , pro causarum , per quas oriuntur , natura , et pro symptomatum junctorum diversitate , est prognosis . Profluvia serosa ; nisi major , aut repentina , vel in longum protracta sit excretio , cum damno minori ab aegrotantibus feruntur . Ubi mucus , aut lympha , vel cum istis , vel sola , copiose , aut in longum

gum secedunt: majus est nutrientis principii dispendium, ac debilitas, quam ex seri excreti portione aequali, vel et longe superiori, major insequitur. Praeterea, quas partes hoc a blando liquore obduci, lubricari, laxari, et a mutua concretione praeservari, — quarumque nervos a nimia nuditate, siccitate, asperitate defendi oportuisset: hae, mucosa hac veste spoliatae, in contrarios affectus labuntur. Huc celerior *chymi* ex ventriculo, et *chyli* per intestina ejectio, aut lymphae ex laeso hujus laticis nutrientis canaliculo diuturna profusio, in primis spectant, quae si multum protrahantur; eventum corpori funestum, tabemque aut hydropem praedicunt. A *lactis* uberiori, aut longiori, quam par est, ex mammis profusione, mulieris sanitati non parum detrimenti infertur, ac proprii non modo corporis praescinditur nutritio; sed et pectori, apud matres graciliores, insidiae struuntur, fertilitas naturalis ad pauciores modo partus limitatur; vel utero suscepta nova proles necessario, in quibusdam, defraudatur alimento. Sed potissimum a *seminis*, aut praematura, aut senili aetate, aut quovis demum vitae stadio, frequentius, quam par est, aut alio, quam natura jubeat, mo-

do excreti jactura labefactantur et contabescunt animalia. Vix interim tam ipsum, qui hic dissipatur, mucosumolidumque liquorem, quam *convulsivam*, quae hoc opus comitatur, totius systematis affectionem, debilitatis majoris in se rationem continere, vel ex eo comparet: quod et foemina, cui *semen* negatur, licet minus ac viri, a veneris abusu aut masturbationis a vitio plectatur. A *synoviae* per vulnera, vel abscessus ligamenta capsularia penetrantes efflavio, articulorum rigiditas, ankylosis, immobilitas perfecta descendunt. *Puriformis* liquoris, vel et *puris* diuturna et copiosa secretio, praeter partis sic affectae laesionem, aegrotantes, ob nutrimenti principii cum pure secedentis dispendium continuum, exhaustit: et hac ex ratione frequentius, quam puris resorpti effectu, febrem lentam, ac hydropem inducit. Quid a *sanguine* sincero, aliorum humorum peru dispersis, malorum nascatur, nemo est, qui ignoret. Prae aliis, infantes, — minus foeminae, quam viri, ab illius jactura offenduntur; ac in genere hydropses, et tabes, lipothymiae, et convulsio, mors ipsa, nunc citius, nunc tardius, haemorrhagias insequuntur.

Haec, ex profluviis oriunda, et quae alia in sequentibus dicemus, incommoda, vel ex eo frequenter augentur: quod natura iisdem, cum diutius persistant, aut saepius revertantur, facilime assuescat, et malorum sic induat, infastam suo tempore, *habitudinem*. Haec est, quae chronicis, periodicisque profluviis tam despotice tunc imperet: ut restituto vix corpori nutritente, quem amiserat, succo; mox novae dira necessitas incumbat jacturae: quae vel ipsis roborantibus reluctatur, et ab illis, quae *falsam plenitudinem* imminuant, exasperatur remediis. Nec interim *bonis* ubique profluvia, tum serosa, tum mucosa, et sanguinea, privantur effectibus; sed, ut in febribus inflammatoriis saepe crux ex naribus, vel ano, vel utero prorumpens, tum principio, saepe illas mox jugulat, tum eaurundem, sub judicio, saepe *crisis* salutarem constituit; sic et fluxus naturales forte alibi suppressos, ad partem licet ab illa distantem, profluvia nunc supplent; nunc sub locali visceris plenitudine, aut sanguis, aut serum, aut humor puriformis ex viciniis distillans, vel arte naturam immitante extractus, saepe turbas, quod alia vix possent, egregie moderatur.

Method.
general.

§. 468. Ex his apparet, non quodvis profluviū, sine causae latentis, sine morbi praegressi, habitudinis, ac symptomatum praesentium perspecta ratione, mox esse superimendum. In genere, vel ex intensioni solidorum in fluida actione, vel ex vitio contrario, vel liquidorum ex culpa, nascantur profluvia: istorum, si pateant, si praestare id liceat, removeantur mox causae.

In primo quidem casu, in ipso jam stimuli exsuperantis effectu latet morbi, quem induxit, remedium: et expulso, quod virium intemperantiam suffulserat, liquido, hae ipsae praescriptos sanitatis ad limites redire, ac profluviū suspendi haud raro observantur. Ars ipsa, ad nimios solidorum impulsus coercendos, ut in febris inflammatoriae (§. 120.) et in ipsius inflammationis (§. 133.) curatione docuimus, tum victu tenuiori, atmosphaerae ambientis refrigeratione, corporis animique necessaria quiete, ac illius positio-
ne opportuna, — tum blandis, ac nimiam irritabilitatem corrigentibus, antiphlogisticis, ut vocant, remediis, et humoris systemati vel integro, vel speciali, molesti, vel generali, vel locali evacuatione, utatur oportet. Hinc a praepostero profluvia, hoc sub casu, si-

Sub impul-
su aucto.

stendi conamine, ipsius sanationis non raro
praescinditur subsidium, et morbi vel causa,
vel, quae istius effectus multiplicat, nimia,
pro hoc statu irritationis, liquidorum abun-
dantia, in corpore includitur: unde viscerum
infarctus, inflammatio, suppuratio, ac tabes,
saepe primam sibi promunt originem. Sed
quod natura hic adhibet profluvii in proflu-
vio subsidium: hoc ipsum discrimine non
vacat; ac malo saepe pejus est, et lethales
non raro exitus agnoscit, remedium. Hinc
per indicatas, et quae moderamen admittant,
opportunis in locis, depletiones, non provi-
dam ubique, ars suppleat naturam, et easdem
sic dirigat necesse est: ne sibi, artificiali
cum profluvio, tam facile morbi *causas*, quam
effectus, a solidis auferri posse, videatur.
Saepe stimulus, a vera plenitudine quamplu-
rimum diversus, hominum robustorum in so-
lidis tumultus insignes, et plethorae non mo-
do signa, sed profluvia excitare observatur:
quae, vasorum quidem depletione, ut ma-
jori jacturae occurramus, sibi exigunt; sed
certe non illam, quam natura, vel ars ipsa,
sine habito ad causae stimulantis, nec per so-
lam humorum evacuationem eliminandae, na-
turam respectu, uberiorem instituit, exspe-

ctant. Non rarum est, ab acri rheumatico, vel alio, vasorum systema nunc omne, nunc certis in partibus, violentos ad motus excitari: qui profluvia, ut vocant, *activa* inducant, venaesectionibus, ac eorum quae aestus infringant, usu perutiliter moderanda; sed donec adhaerens, quae stimulat, materia, has partes dimittat; profluvia continuant, nec in solis antiphlogisticis est positum hujus mali remedium; nec robusti, ac ad morbos a solidorum vi nimia promptioris sub corporis habitu, *nervosum* systema principalem saepe scenam non ludit: et sub tali rerum apparatu, tum febris, tum fluxus ipse, post primas modo turbas a venaesctione, vel ab ipso profluvio sedatas, magis *opio*, quam sic dictis antiphlogisticis, obediunt.

Sub tenore imminuto. Si profluvia ex potentiae vitalis aut in toto, aut in partibus *imminuto* tenore, aut laesione continui oriantur: tunc, deposita antiphlogisticae methodi idea, praemesso ubique causarum (§. 466.) scrutinio, ad illa, quae vasorum laesioni, inertiae, aut nervosae affectioni, hanc ipsam mentienti, generali, locali, opitulentur, sollicite recurrentum est. Ad *symptomaticas*, vel ex *consensu* pendentes, plerumque haec profluvia reducenda sunt

aegritudines: atque hinc vel morbo primario, vel causae alibi locorum degenti, adhibeatur medicina. Sic in profluviis ex scorbuto ieductis, licet debilitas subesse videatur; non tam felix eorum, quae maxime vel totum, vel partem corroborent, quam succorum vegetabilium, acidorum, est virtus. Sic ex febris intermittentis forte causis pendenti, periodico profluvio, peruvianum mox corticem — ex nervosis affectibus orienti, narcotica, nervina medicamenta opponimus; nascentem ex causa biliosa, subrurali haemorrhagiam, methodo (§. 109.) indicata, seu emetico, purgantibus, non alio, vel locali subsidio compescimus. Si febris nervosae, contagiosae symptomata profluviū comitentur: ad ea, quae (§. 94.) diximus, auxilia descendimus; quae debilitatem solidorum, universalem, specialem, pro causa, fluxus agnoscunt: hos, illinc victus uberior, vinum generosum, aromaticā, cortex, martialia, exercitium moderatum, aer rusticā, — hic vero frigida, adstringentia imposta, injecta, et fasciae componunt; profluvio ex acri, ab externis ad viscera repulso venienti, non alia, quam quae ad pellem hoc reducant, aut corrigant, conducunt: etc.

24 *GENERALIA DE PROFLUV.*

*Sub vicio
humorum.* Haec ipsa , ex parte , jam illa , quae humo-
ribus tribuuntur , vitia comprehendunt: ut
quae , si interdum profluviis subesse videan-
tur: remedia , tum causis (§. 466.) opposi-
ta , tum alia , quae symptomata compescant ,
requirunt .

O R D. I.

PROFLUVIA SEROSA.

G E N. I.

EPHIDROSIS.

§. 469. Quem per amplissimam cutis superficiem continuo exspiramus, vapor, animalis sub specie distillationis, ab atmosphaerae, se ipso frigidioris contactu in guttulas condensus, sudorem constituit. Hic liquor, in sanis coeterum hominibus, transpirationis a materia vix aliter, quam pinguedinosi principii, vel ex adipis subcutanei, vel ex sebi folliculosi connubio oriundi, distinguitur; sed aquosum, viscidulum, subsalsum, ac urinæ tenuiori vix non aequalem humorem nobis offert. Interim, quae praeter aquam et volatilem materiam, qua canis jam deleta heri absentis vestigia insequitur et ab aliis distinguit, — vel quae partim ex alimentis olentibus ad pellem, vix integre subacta,

Sudoris nat
ura.

pertingit, partim distinctis ex glandulis ad genitaha, pedum inter dígitos, ad axillas secernitur) principia, humana ex cute atmosphaerae reddantur: haec, ab illis, quae pulmones mephitica exhalant, diversa, licet ex retropressi sudoris effectibus, perniciosi quid habere suspicemur, cum sileant experimenta, hucusque ignoramus.

Definitio.

§. 470. Sudor ipse in sano homine ubique violentus; et hinc mitis quidem, sed in ea, quae sudat, parte morbus est. Haec vero secretio cutanea, vel naturalis, vel ab ista diversa, eum virium jactura nunc, ut sub crisi, imminuta, nunc adaucta, *Ephidrosis* vel *sudatio morbosa* vocatur.

Diversitas.

§. 471. Hoc autem sub statu (§. 470.), sudoris plerumque non modo copia, sed et ipsa principia, quod in urinis morbosis contingit, mutari, atque aliis aliisque misceri videntur. Nunc *tenuis* certe et purus sudor, sub calore non magno, mox a cute in auras ut *vapor* ascendit; aut *limpidus* per membra, ut *lintea* vix tingat, distillat; nunc ut *crassum*, *viscosum*, *frigidumque gluten* superficiem urentem obducit; vel *mora* *siccatum*, hanc

ipsam, quasi matulam urinac, *sedimento mucoso*, spissiori; ac interdum arenoso, conspurcat; nunc *odorem* hic latex naturalem seu proprium, cuivis homini distinctum, conservat; mox *specificum*, *acetosum*, *urinosum*, *cadaverosum* spirat, ac princeps contagiorum vehiculum constituit. *Sapor* hic, vix notabilis; ibi *salsus*, *amarus*, aut *subdulcis* ac *melleus* apparet. Ob tam varia, nec hucusque satis, pro materiae dignitate, examinata principia, sudoris quoque color nunc pallide *flavescens*, nunc *lacteus*, vel *croceus*, *sanguineus*, ac interdum *subviridis*, *coeruleus*, aut *ater* occurrit. Nunc vero partem modo *unam* sudor, vel alteram humectat, aut ex *latere* modo *uno* exprimitur; nunc ex *cute universa* propullulat, et hic, *istius ex vitio*, — illinc, visceris *consensu*, vel alterius ut morbi *symptoma*, nunc prorsus *sine febre*, nunc *eadem*, vel continua, vel intermittente periodica, vel hectica *stipatus*, modo quovis *sine fructu*, modo *criticus*, atque in isto *moderatus*, in illo *copiosus*, *colliquatus* prorumpit. Sub coelo ardente humidoque *endemius* quasi sudor est; ac interdum *epidemice* per provincias cum periculo, fere *pestis* adinstar, grassatur. Vel sub ipsa sanitate, certorum cutis hominum foetorem insignem continuo exspirat.

Natura
morbi.

§ 472. De sudore febrili, vel *symptomatiko*, qui sub continuorum principio, vel inutiliter, vel manifesto cum damno, profunditur; aut qui intermittentum paroxysmos, non febrim ipsam, claudit, — vel *critico*, qui morbi sub fine, — rarius, et per artem, contagiosarum sub febrium initiis, expellitur, jam diximus (§§. 6. 16. 35. 85. 87. 88. 91. 94. 97. 100. 140. 186. 323. 331. 332.); et cui pellis cum visceribus, potissimum abdominis, et cum utero, *consensu* subjaceat; *exanthematum* (Lib. III.), ac *impetiginum* (L. IV.) satis docuit historia. Hinc pauca de sudore dicenda supersunt. quae secundarium non magis quam primarium cutis morbum respiciant.

Sunt, quibus urinae copiosius, quam aliis, — sunt, quibus alvus frequentius in die, sanissimis, solvantur. Sic et cutis in multis abunde transpirat, facilesque sudores, sine virium jactura, et quin morbum adesse dicamus, per propriam naturam contingunt. His, axillae, pedes illis, continuo, quin ex suppressi hic locorum sudoris phoenomenis ad praevium in humoribus vitium concludere mox liceat (§. 373.), madescunt. Sed quemadmodum aliarum organa secretionum,

nunc, a stimulo, aut sibi ipsis admoto, aut visceri affini adhaerente, agitata, functionem, cui praeunt, accelerant, pervertunt, aut protinus suspendunt; nunc, vel ob virium propriarum defectum, vel ob causae deprimenti, longinquae actionem, mox tardius parciusque absolvunt, aut deserunt; mox impulsui humorum resistentiam non ponunt, ac laticem susceptum, iners ut cribrum, transmittunt; sic et cutis, certe saepius ex consensu, vel morbi non sui devicta imperio, sed interdum vel *nisu*, vel *inertia sibi propriis*, a sudore copioso, vel ubique, vel certas ad partes inundatur. Verum est, et a cordis vasorumque vigore aducto, et a stimulo per consensum in pellem dominante, sudores moveri; sed nunc, sub intenso febris inflammatoriae impulsu, haec ipsa sudoribus siccissima resistit; nunc, absente stimuli cuiusvis insoliti indicio, hoc organum vel sponte mollescit, ac proprii humoris delectatur in balneo. Nemo est, cui, vel stragulis modo leviter obtecto, matutinis sub horis, sine febre, et quovis interno sine stimulo, sudores non interdum sat largiter prorumpant, diversum a naturali odorem manifestent, et novas quasi corpori vires, et pridie ignotam

animo hilaritatem concilient. Alii sine causa evidenti, sine febre, sudoribus potissimum nocturnis, per menses difluere, ac macie, debilitate, inappetentia multari cernuntur. Mutuum renes inter et cutem, vel apud sanissimos, secretionis commercium existit; ac minorem illorum actionem, istius mox functio adducta, — non modo per vaporem invisibilem, sed et per sudores, sub eadem positione, faciliores, ac vicissim, supplere consuevit. Vel ipsi, quos *criticos* appellant, sudores, saepe cutis seltius actione, sine stimuli, vel debilitatis febrilis augmento, sine quovis longinquo consensu, quin praevio sub caloris decremento, copiosi ex cute distillant; ac sicut febrium plurimarum in pelle prima sensatio ac forsitan origo est: sic et *criticos* sudores aut levis in ista horror, aut pruritus, aut certe singularis tractabilitas et mollities, cum pulsu molliori ac undoso, praecedunt: quae singula sat clare manifestant, hanc partem corporis tam late expansam, tam sensilem, totque vasis ornatam, non servile ut colon, sed frequenter vi propria, humorum nunc undas repellere, ac vaporem, sudores arcere; nunc aperto illos sinu suscipere, ac in corporis vel beneficium,

vel certam perniciem, hos ipsos uberioris profundere.

§. 473. Sed ipsa causarum, quae cutis secretionem adaugent, vel immutant, natura, haec (§. 472.) ulterius illustrat. Ac *primo* quidem, quaecunque, vel in sanguinem delata, vel irritationis localis imperio, cordis vasorumque in fluida contenta impetum adaugent, nisi majori, quam par est, stimulo agitentur, aut in extiemis vasculorum ostiis obstaculum resistat, ea, secretiones in genere, — atque, nisi frigus externum, quod ubique non facit, hoc impedit, sed tempore gratus ad recipiendas cruoris undas vasa cutis disponat, atque vel siccus, vasculorum extremitates exstimulat, vel humidus, relaxat; sudoris illam promovere pernoscimus. *Secundo*, quae corpus humore tenui aquoso locupletant, quin hic ipse, vel ob cutis a frigore, a densitate majori resistentiam, vel ob salinam forte liquidi naturam, ad renes, quibus haec magis favet, potissimum dirigatur, aut in tela cellulari subcutanea, anasarcae sub specie, restagnet: ea, sub conditione corporis ac atmosphaerae vix exposita, ac impri- mis sub urinae aliquique excretionibus mode-

ratis, aut tardis, transpirationis sudorisque augmentum producunt. Quae tertio, principia in sanguinem deducta, vel ob volatilem, qua pollut, naturam, vel ob indolem incognitam, sub eodem rerum statu, aut majorem cum pelle affinitatem alunt, aut vasorum exhalantium extrema potissimum afficiunt: ea, licet glandulae sudoris non praesint secretione; istius tamen, cum nihil est, quod obsit, incremento, pree aliis, favere videntur. Quarto vero, quae res internae vel proprio contactu, vel actione longingua, contextum cutis relaxant, aut nervorum in istam imperium refringunt: illa non minus, ac ea, quae exterius admota hunc ad finem conspirant, cutis rivulos aperiunt, aut potius vitali, qua in sano homine clauduntur, custodia privant. Hinc vel solus muscularum motus, cutis frictio, irritantia quaecunque, vel excitans animum viresque cordis pathema, vel febris, vel auctus atmosphaerae calor, transpirationem, et cum singula conspirent, sudores accelerant. Hinc vel solus jam potus copiosus, vel caloris insimul principio suffultus, tam facile per cutem, nisi frigore vel aliter contractam, nunc vaporum sub forma, nunc in guttulas collectus, mox diffuit. Hinc superad.

peraddito huic potulento volatilis, aromaticae naturae medicamento, eo certius, si modo atmosphaerae non reluctetur conditio, sudores prolixiuntur. In genere contagia, non pauca, variolosum in primis (§. 331.), praeterea aliis morborum causis, aut cutem ipsam invadunt; aut in illam ex longinquo dominantur: ac non raro, quin illorum aut in vasa impetus, aut deprimens in nervos actio id ipsum ubique efficere videatur, sudores expellunt. Hinc demum ipsa fluidorum a vasculis cutaneis, ob calorem externum, ob laxitatem, ob circuli sanguinei ad viscera impedimenta, vel ob spasmos internos, receptorum multitudo, ac eorundem, a potu copiosius assumto, tenuitas, — aut iterum illorum a contagioso, vel et purulento principio mutata conditio, — vel arcte circumfluens aut partis, aut corporis totius vapor atmosphaericus, aut proprius, — vel congestus in primis viis, ac abdominales in nervos agens saburrarum putridarum foines, — vel inhaerens vento meridionali incognita nervisque inimica potestas, — vel febris elodes (§. 85.), diaphoreticae intermittentis (§. 35.) causa, — vel demum nervorum, ut ad partes modo quasdam, vel ut in convalescentibus, in de-

biliaribus, somnoque meridiano, nocturno detentis, aut scorbuticis hominibus, sub terrore, doloribus, anxietate, hypothenmia, vel agonia, suspensum, aut vix non prorsus ablatum in cutem imperium, — frequentem, atque saepe nimis in febribus nervosis, contagiosis funestam, sudorum sistunt scaturiginem, ac loco blandi tenuisque liquidi, humorem alienis principiis, atque ipso interdum sanguine, inquinatum ex pelle profluere cogunt. An sub *colliquativo*, ut appellant, viscidiori plerumque, sudore, cuius a fluxu mox corpus contabescit, ut in urina illorum, quos *diabetes* (§. 480.) exhaurit, saccharum, aut nutriend principium per cutem quotidie difficitur? . . . certe chylus aut humor lacteus per vasa cutis cum sanguine circumactus sudoris acidi in multis rationem offerre, ac sudoris, licet rarioribus exemplis, nunc lactei, nunc mellei, nunc oleaginosi, crystallini, observatio, id indicare videntur; atque primam, quae dabitur, haec experiundi, nanciscemur occasionem.

alibi jam satis exposuimus. Nec sermo hic esse potest de aliorum morborum sudoribus: ut quorum significatio ex illorum natura potissimum desumitur. In genere sudores, sine febris aut stimuli alterius ratione, vel in parte, vel ad omnem superficiem facilius, quam par est, prodeunt, istarum debilitatem, vim nervosam infractam, vel obstacula circulacionis, secretionum, excretionum aliarum, interna portendunt, et quo profusius per cutem distillant, aut quo magis a naturali tenuitate, colore, odore, sapore recedunt: eo majus vel de solidorum fluidorumque turbis, vel de secretionis cutaneae vicio, atque de humorum utilium jactura, testimonium largiuntur. Qui interim ad pedes, axillas, in multis sudor prorumpit: hic, licet foetidus ac ingratus, sanitatem non ita, ut incaute suppressus, offendit. Qui sub tabe purulenta, vel alia, profusus ex cute sudor ruit, hic citum vitae miserandaे terminum impunit; aut per frigus externum retentus, diarrhoeam colliquativam inducit.

§. 475. Sudori febrili, tum symptomatico, curatum critico, medendi rationem exposuimus

(Lib. I. II. III.). Aliorum , qui morbos quoscuuque ut symptoma comitantur, medela vel ex tradita istorum , et causarum, e quibus oriuntur, doctrina elucet; vel ex iis, quae alibi dicenda supersunt, patebit. Qui ex contracta cum hac pellis excretione consuetudine sudores vascuntur: hos per artem arcere, jam dicta peticula vetant. Qui interno sine morbo facilius , quam par est, sudores prosiliunt: hos, illa, quae sudoris habitudinem inducunt fugiendo, sepositis potu balneoque tepidis, diaphoreticis, ac nimiis, quibus cutis mollities augetur, vestimentis, debilitate per corporis exercitia, frictiones, balneorum frigidorum, aut simplicium, maritimorum, aut corticis peruviani, vel salicis albae decocto junctorum auxilio, correcta, vel unguentis oleosis dissipari licebit. Illorum , qui ex morbis gravioribus resurgunt, sudores, per victum nutrientem, vini hauustum generosi, per elixir vitrioli, ac quotidianam in aere liberiori et puro equitatem, vel per navigationem fraenantur. Infusum salviae, cinamomi, cum vino paratum, quam optime huic fini respondet . Nimios sub aestatis calore sudores superaddita po-

tulentis spirituosi portio liquoris, et quies
moderantur. Plures vero, sub coelo calido,
ob sudorum impatientiam, gravissimis, ab
illorum suppressione, morbis occasionem de-
derunt.





O R D. I. G E N. II.

DIABETES.

Secret. urinæ
nae vitia. §. 476. **Q**uod renes secernunt, ac vesica per urethram dato tempore expellit liquidum, pro hominis aut sani, aut morbosi aetate, sexu, temperamento, — pro potus, cibi, medicamenti ingestis, — pro coeli, atmosphaerae, — pro cutaneae, alvinae excretionis, — pro corporis, quin pro animi ipsius aut quieti, aut stimulis agitati, — ac demum pro temporis, quo suis in alveis retinetur ac stagnat, conditione, tam copia, quam indole diversum: hoc, vel abundantia, parcitatem, principiis vitiatum, vel, a naturali non tam alienum, aut citius quam par est, aut praeter voluntatis imperium, aut tardius et cum labore excretum, vel protinus suspensum, plurimorum, nunc signum ac effectus, nunc causam morborum constituit. Ex istis,

modo illi, qui ex lotio, vel copia insigniter aducto, vel, naturae praeter leges, principio nutritore onusto, vel aegroto nolente ac inscie excreto, nascuntur, *profluviorum* ad classem spectantes, *diabetis*, ac *enuresis* sub titulo, attentionem sibi nostram exposcunt.

§ 477. Ratissimam aegritudinem dixerunt esse *Diabetes* sive *Dipsacum*: ac nos ipsi, viginti per annos in *Patria Germana*, diversas inter gentes, medicinam ~~ex~~^{et} fermentes, modo tria, quae mulus nec unquam se offerunt, hujus morbi conspeximus exempla. In *Italianam* transvectis interim, *diabetes* nobis, vel brevi octo annorum curriculo, jam septies oblatus est; nec dubium nunc quidem alimus, hunc morbum frequentius, quam cum aliis non ita pridem nos ipsi credebamus, ubique locorum occurtere, et a medicis, in urinæ quantitatē, aut saporem haud satis attentis, non semel non adverti.

§. 478. Est autem *Diabetes* vera corporis *Definitio.* per urinam colliquatio, aut lotii profluviū, vel copia potum longe superante, utplurimum, vel principii saccharini admistione excedens, cum siti inexplebili, cute arida

squamosa et macie extrema sine febre in longum plerumque incedens.

Divisio.

§. 479. Vario sub aspectu hic morbus incedit, ac in plures hinc species distinctus fuit. Nunc etenim *insipida*, aquosa, nunc, quasi a melle admisto, *dulcis*, quae excernitur, urina est. Quem *lacteum* (*chyluriam*, *coeliacam urinalem*) dixerunt: hunc, si ab urina *subalbida*, quae, suscepta, largas post epulas, sat valida deambulatione, a sanis hominibus subinde, sine damno, excernitur, recedamus, nos ipsi nunquam conspeximus diabeten; atque multis *purulentam*, cum urinis certe non raro copiose remistam, pro *chylo* imposuisse suspicamur materiam. Non interim *lacteum* colore diabetem, viri scilicet septuagenarii hoc in *Ticinensi nosocomio* degentis, observatione freti, existere prorsus negabimus. Hic scilicet, ob insigne humeris sat longo tempore impositum pondus, post octo demum a nixu dies, ab insigni ad ultimas lumborum vertebrae dolore, tandem a febricula hinc inde, ad noctem crescente, correptus, insigniter sitire, et urinas *quasi lacteas* atque adeo copiosas excernere coepit: ut plures per menses quotidie, nunc sexde-

cum, nunc viginti hujus liquidi subdulcis libras, potum, licet plurimum ingereret, non parum superantes, per urethram expelleret. Sitis ingens, fames aucta, et macies torosi prius hominis extrema, cum tanta urinae copia collata, hoc in casu vix adeo *purulenta*, quam illam, quae diabetem comitatur, tabem latuisse, indicare videntur. Nec desunt similia, apud alios, *chylosi diabetis*, quae difficulter a purulenta materia repetamus, exempla. Quem *hinteriam urinalem* compellant, in qua, celerrima et copiosissima potus assumti, nec mutati, per renes et vesicam evacuatio contingat, conspeximus nunquam. Nec *mucosam* hoc in morbo urinarum naturam, nisi *mucum*, qui tenui pallidoque liquori dulcedinem conciliat, appellant, observare potuimus. Qui diabeten *idiopathicum* a *symptomatico* distinguunt: hi forsitan sat recte id faciunt; sed ultra, quam nobis quidem de hujus mali origine constet, sapere videntur; aut *spirium*, *hystericum*; *febrilem*, *rheumaticum*, qui sine tabe ac siti tam intensa incedit, cum vero diabete confundunt. Sed quamvis per longum tempus decurrere hic morbus consuescat; non desunt ideo, *acuti*, *brevi tempore lethalis*, quin *periodici*,

intermittentis, et *critici*, nisi *spurius* hic fuerit, diabetis exempla: et ipse quem in *clinico Instituto* curavimus, aegrotus, cum sub calore aestivo, ac coelo sereno, parum in urinis excederet: autumnali ac hiemali sub frigore, vel cum pluviae instarent, quamplurimas mingebat. *Congenitum* diabeten, nisi majorem illam, vel sanos apud homines, qui forte parcus transpirant, urinarum copiam pro tali declarant, non vidimus. Duos unius ejusdemque familiae homines ex diabete perissee, compertum habemus; ac duorum, qui ambo hoc morbo laborarunt, fratum, alibi exemplum narraverunt. *Complicatum* cum *urinae incontinentia* diabeten non ita pridem in sene, — *pleuriticos dolores* duobus in viris, atque in uno *ex istis*, *diarrhoeam* simul cum diabete *insipido*, lethali, — tum ia hoc vero, tum in aliis quibusdam, leucophlegmatiam, hydropem simul *asciten*, qui saepius dispersus, mox iterum redibat, observavimus. Rarissima complicationis hoc in morbo est species, quae *retentionem urinae*, quamplurimae, quamvis copia parva potus assumeretur, diabeten comitata esse refertur. Hinc licet hoc in morbo urina plerumque sine quovis dolore, atque sub coactae quidem, sed non de-

letac voluntatis imperio mingatur; est tamen ubi non tam facilis ejusdem a *dyuria*, ab *enuresi*, distinctio habeatur; nisi vel ad *copiam urinarum*, potulentis ciboque fluido ingestis longe uberiorem, vel ad *melleum* earundem saporem, ad *situm* intensissimam, et ad *maciem* aegrotantis extremam simul respi- ciamus. Vel *pauca* urinam, sed *dulcem*, et tabis, ut in morbo communi, causam, sistit *diabetes decipiens*.

§. 480. Prima, quae in diabeticis, quos vidimus, occurrabant, et ex improviso plerumque hominem prehendebant, symptomata, *oris siccitas subitanea*, ac *sitis vix poculo a labris remoto recurrens*, nec verbis describenda, fuerunt: et urinae non prius, ac a potu copiosius ingestu, augmentum habuere. Interdum morbus a siti, ac urinae profluvio *simul incepisse* refertur; sed et sanos apud homines vix ab aquis affatim epotis, mox lotium excerni, tam rasum non est; ac urinae sub diabete non minus copiam, quam nutrientis, quae cum ista secedit, materiae jacturam, ab ipso potu tam exuberante repetere liceret: nisi major longe, quam per fauces ingeratur, liquidorum ex vesica quantitas prorumperet.

Urinae co-
pia.

Haec ipsa vero tanta hoc in morbo esse solet: ut, cum puella non nisi *septem* tum solidi alimenti, tum potus *libras* assumisset, *triginta sex* tamen *pintas* urinae dimitteret. In viro paucos ante annos a nobis ad *Clinicum Institutum* suscepto, urinae quotidie ad *libras quadraginta*, vel et, semel, *quinquaginta* cum *duabus* ascendebant. Majorem urinae quantitatem hoc in morbo excerni, alii viderunt. Vix mitior nobis casus oblatus est, in quo non lotium ad dimidium, vel duas tertias ad partes, *ingesta*, — et excreti liquoris *pondus*, jam paucas post dies, illud *corporis totius* quam maxime superaret.

Atque sub tali aegrotantis positione, saepe frigoris, aut frigescentis quasi liquidi ex lumbis in vesicam descendantis sensatio, ardor stomachi, et calor viscerum mordax, — interdum dolor ad suras, aut pedem, insignis ubique virium prostratio, cutis arida, plerumque squamosa, porrigo, hunc morbum comitantur. *Anorexiā*, quam aliqui diabetieis attribuunt, vel *aquaē horrorem*, quem fidi auctores hoc in morbo se vidisse testantur, haud unquam observavimus. In unico aegrotante febris, mox morbi ab initio, jam

aderat, ac intermittentis tertianae quasi typum imitare videbatur; alias, plerumque febre, donec morbus adolescat, carere videntur. Vix non apud omnes, vel sub ipso *sitis incipientis* momento, vel paulo tardius, magna, nec a consueto convalescentibus cibo, apud nos sat copioso, mitiganda *fames* in conspectum prodibat, crescente morbo quamplurimum, donec febris sat conspicua se adderet, adacta: quo tempore et arteriae debiliores, mollissimae, et tandem crebriores sentiuntur, debilitas quotidie inerescit, atque calor, ut singula symptomata, ad noctem exacerbari observantur. *Noctis* tempore praesertim, inter diabetis principia, urinae copiam majorem fluxisse, apud alios notatur. Potens quondam veneris in castris miles, hoc a morbo vix correptus, non modo omnem cum uxore coeundi potentiam, sed, ut nobis referebat, seminalis vestigia liquoris, in totum amisit. Interea plerisque oris labia cum lingua et faucibus insigniter siccescunt, et vox debilis, fere rauca, cum tenaci ad gulam pituita et spumosa saliva, persaepe observantur. In alio, dolorem ad fauces, sine phlogosi, constantem, vehementem, ac pustulas ad linguam ac labia exorta;

conspeximus. Sed sub linguae vel naturali, vel, a potu tam copiose assumto, artificiali madore, non minor sitis in aegrotis quibusdam, ut vidiūpus, ardebat: ut quae certe apud omnes magis impetuosa est, quam sub febre quavis ardentissima, et sub majori fau- cium, ac in *diabete*, siccitate, vel unquam alibi potus desiderium viderimus flagrasse.

*Urinae dul-
cedo.*

Sed ipsa urinarum natura, quae res Veteres omnino latebat, hoc in morbo mutata est. Quamvis enim et ab aliis, et a nobis ipsis, *insipidam* vel expertem dulcedinis urinam aliquando observari licuerit; plerumque tamen in ista, licet pallida, serosa, limpidissima, *sapor melleus*, vel *succo alni betulae*, verno tempore perforato e truncō profluenti, persimilis dulcedo se prodit. Hoc lotium ad ignem vapores suaveolentes exhalat, atque ad certam spissitudinem redactum, melliformem, bruneam, vel saccharinam, — atque ulteriori solutione, inspissatione, facile depurandam, et ad sacchari communis puritatem, saporem, colore in reducendam largitur materiam; vel sibi ipsi commissum, fermentationem tum vinosam, tum acidam subire ob servatur. Pulcherrimas *acidi saccharini crystallos*, *alcohol*, et *acetum*: hoc animali ex liquido

parata, in *pathologico* hujus Regiae Academiae museo conservamus; atque ex quatuor et viginti urinae libris, viginti sex materiae saccharinae uncias obtinuimus; nec desunt, qui majorem istius quantitatem diabeticorum ex lotio deduxerint.

Quod interim ex *unica* hucusque alterius observatione, non ita pridem, innotuit, est saccharini principii in urinis aegrotantis, tabe lenta consumti, licet ultra, quam sanus consueverat, aut quam ingesta exigent, non minigeret, quantitas tam insignis: ut ex duabus urinae libris, saccharinae non minus, quam sex uncias, prodirent substantiae: quo tempore coetera diabetis symptomata, sitis indelebilis, lingua sicca, cutis arida et squamosa, aegrotantem vexabant: donec morbo, sub deliriis, convulsionibus, ad mortem properante, illud ipsum in urinis principium ad quartam sui partem decresceret.

D. defi-
pient.

In genere hic morbus *lentissime* decurrit, atque per annos non raro protrahitur. *Acutioris*, ut diximus, pauciora, nec visa nobis, exempla diabetis habentur. Nec rarum est, sub tam diurno morbi decursu, urinas ad *sanas* interdum paulisper accedere, ac odo rem non tam suavem, sed quidquam foeten-

tem, ut sanae faciunt, spargere; atque salia, sub evaporatione, diversa, ad majorem quantitatem, largiri; sed mox, vel quovis, tam vegetabili, quam *animali* sub victu, ad pristinam dulcedinem urinae recedunt. Nocturno sub tempore majorem aegroti nobis copiam urinae, ac interdiu, *continuo* dederunt; et ob crudelem, mox a poculis ab ore remotis, istius siccitatem, vel, etsi hoc satis maderet, ob sempiternam tum bibendi, tum mingendi necessitatem, vix palpebrae a misericordia clauduntur. Hinc major indies debilitas, cutis siccitas pergamenta, ac macies, quam ultimam tamen aliqui defuisse viderunt, sequuntur: et sub tam insigni licet aquarum profluvio, ad pedes tamen, ad lumbos oedema, et ad ventrem ascites, nascuntur; vel hydropi diabetem, huic vero hydropem vicissim successisse, alii testantur; vel, ut in diabete *insipido* conspeximus, et alii narrant, *diarrhoea*, quae paucos juvisse dicitur, miserias adauget. Hoc tandem rerum sub statu, calores vespertini, pulsus debilissimi, frequentes, anorexia, anxietates, tremores, stupor, lipothymiae, vox rauca, deleta, urinarum profluvio se adjungunt, atque optatum

tum aegritudini tam dirae, ac vitae ipsi finem imponunt.

Vel ipsum sanguinis hoc in morbo a quibusdam educti serum aliquando, non ubique, dulcedinem, — crux ipse, crustam nunc aliquam, nunc vero nullam exhibuit. *Salivationis* ac *diabetis*, quae vicissim incesserint, exemplum narratur; sed an *dulcis tunc saliva effluxerit* (§. 491.) observationi, quod plurimum lucis accendisset, non additur. D. spurius.

Quam longe a *spurio*, ut vocant, *diabete* haec distant; et quam parum hunc inter et *verum* affinitatis intercedit! Sunt scilicet, qui a prima juventute copiosas, sed non diversas a statu naturali urinas excernant; sunt, qui sub spasmis hysterics, hypochondriacis, dentitionis sub opere, in rheumaticis affectibus, sub crisi morborum, sub hydrope, ab epoto diuretico medicamine, coposas pallidasque profundant urinas; sed vel sitis vix urget; vel potum ingestum non superat excretio; vel parum haec ipsa in longum extenditur; nec adeo mutata est urinarum a sanis conditio; nec macies, debilitas extrema, *symptomaticos* hos fluxus comitantur.

Viros saepius, quam foeminas, a ero diabete consumi, ex nostris saltim, quae

hujus morbi in istis exemplum haud suggerunt, et ex non multis, quae apud alios occurunt, observationibus conjicere licebit. Coeterum et juvenem, octavum cum desimo vix annum superantem, et mediae aetatis viros, et septuagenarium jam, sed floridum adhuc robustumque senem, hoc a fluxu correptos conspeximus.

Causae:

§. 481. Obscurissima causarum hoc in morbo est ratio: et ex illis, quas coeteris profluviis subesse videmus, vix ulla diabetis sat explicat phoenomena. Qui *locali* pro affectu eundem considerant: hi *renalium vasorum laxitatem, debilitatem*, aut *paresin* subesse opinantur; ac renum, diabeticorum a morte, pallidorum, molliorum, acidumque odorem spirantium, nec ignota nobis, exempla adducunt. Quos, viri, ex diabete defuncti, junioris, renes *injectione* anatomica praeparari curabamus: hi, sub impetu moderato, *lacerationem vasorum* sunt passi. Sed forsitan ob longiorem, a morte, istorum tepida macerationem hoc ita successit; ac certe frequentius haec renum ac tubulorum secernentium debilitas, dilatatio morbosa, post inflammations hujus visceris, post diu,

turnas urinae suppressiones, post mictum sanguinis cruentum, purulentum, quin diabetes sequatur, — ac morbi magis effectu, quam ut causa, subesse, — nec sola partis secernentis major debilitas, secretionis in illa augmentum, — ac majorem longe urinarum, quam liquidi ingesti copiam, explicare videtur. Qui *spasmodicos* inter affectus hunc morbum collocandum esse contendunt: hi, validioribus innixi argumentis, *spurium* diabetes sub spasmis hysterics, ab animi passionem, a dulcibus ingestis, dentitionis a stimulo, frequentem pro exemplo adducunt. Interim, vel ipsae, quae a *spacio* tam frequenter *diabete* tenentur, exempla *veri* vix offerunt, *hystericae*; ac sub tam quotidiana morborum spasmodicorum frequentia, diabetes rarissimos inter morbos censetur, et vel ipsi *nephralgiae* vix unquam accedit. Renali sub *calcule* diabetes hinc inde exempla narrantur; sed praeterquod sub tam frequenti calculorum praesentia hic morbus rarissime occurrat: copiosior hunc necdum urina constituit; et certe cum *calcule* diabetes incedere, quin ex hoc ipso oriatur, potest. Ex renali abscessu diabetes originem petierunt, qui, *lascivientis* urinae aspectu decepti, *puris* in lotio

solutionem pro fluxu chyloso, — et hunc ipsum pro diabete habuerunt. In *hepar* alii obstructum, scirrhosum, ac in bilem vitiatam, vel saponis ad instar humores solventes, vel, si prorsus decesset, non satis aquam cum eruore miscentem, diabetis causam collocarunt; ast vero tam plurima, sine hepatis, aut visceris alterius obstructione hujus morbi exempla habentur; quam ipso sub *ictero* diabetes vix sequitur: ac rarer foret, pro causa tam communi, effectus, quam ut aliquam haec opinio auctoritatem tueatur. Sunt, qui potius in *ventriculum*, *intestina*, et in *assimilationis ex debilitate istorum pendentem defectum*, quam praedictas, aut alias in causas, hujus culpam ægritudinis conjiciant; sed cum plurimorum, qui diabete laborant, *famem*, et *symptomatum*, quae *stomachi inertiam* nobis indicent, absentiam consideremus: nec haec quidem fundamento fulciri sat firmo videtur opinio. Cum vero tam sicciam, ac saepe squamosam in diabete cutem observarent, et simul ad urinae copiam, ingesta quaeviis quamplurimum superantem respicerent: non pauci illo ipso organo hujus morbi, tam in arteriarum *exhantium* obturatione, quam in aucta vasorum

inhalantium in cute actione, et in aqua copiosius atmosphaerae ex penu ab iisdem resorpta, originem eo magis derivarunt: quod constrictis vel hiemali sub frigore, vel a terrore, aut spasmo, vel abdominali a stimulo, cutis spiraculis, urinarum mox quantitas et pallor augerentur. Interim, praeterquod eam ipsam, quae ad cutem sese prodit, siccitatem, non minori argumento pro effectu, quam pro causa aegritudinis declarare queamus; cur tanta hic *sitis*, ac tanta *urinarum* in diabete *dulcedo* observentur, haec sola quidem ratio explicare non potest. Qui *sanguinis* hoc in morbo *resolutionem* in auxilium vocarunt: his, cruoris in illo, nunc *corium*, nunc naturalem consistentiam, — chronicam diabetis extensionem, ac aliarum sub eodem integritatem functionum consideranda offerimus.

Tam facile aliorum, de causis diabetis, subvertere opiniones, — ac tam difficile est, his ipsis *meliorem* substituere! Sed propriae melius esse censemus fateri paupertatem scientiae, quam fuco fucum, humani cum sanguinis discrimine, superaddere.

Quodsi tamen, quae causarum sub rigo. Opinio propria.
resiore examine se nobis obtulerit, opinio.

nem, aliorum submittente judicio hic recusare nequeamus; fateamur oportet: nos, sicut in *rabie canina ex animali veneno*, aut homini cum infecta saliva inserto, aut sponte ejusdem in corpore evoluto, ac faucium in nervos praecipue furiente, horrorem ab aqua singularem derivamus: — ita violentum liquidorum desiderium, ut potissimum diabetis symptoma, ex contrario eosdem in nervos stimulo, ac in primis ex systematis lymphatici actione praeter modum incitata, repetendum esse, ob rationes non paucas, suspicari. Certe, si *dipsadis serpentis* (§. 480.) virus, quod Medici ex Veteribus praecipue, ad unum omnes, confirmant, diabetem per mortuum induxisse, ut credimus, ad fabulas haud spectat: jam summum opinionis expositae argumentum se vel nolentibus obtrudit. Sed ejusdem naturae virus posse, sub rariori vita positione, vel et interdum sub febribus, tam acutis, quam intermittentibus in corpore humano praeparari: ex adducto *hydrophobiae spontaneae* exemplo, et ex tribus aliis, in quibus, sub ipso diabete, horror aquae comparuit, ni fallimur, sat satis appareat. Hoc ab acri, suo modo, ac per nervos in *systema lymphaticum* agente, mox resorbentium vaso-

sum ad quascunque superficies , internas , ex-
 ternas , ad oris , stomachique cavum , ad cu-
 tem ipsam , intenditur ac morbose increscit
 officium . Hinc primum diabetis symptomā ,
 intensa *sitis* est , et extrema vasculorum in-
 halantium oscula , quod roris animalis ac
 muci in ore ac fauibus exstillat , hoc omne
 promptissime ingurgitant , ac vel perpetuam
 siccitatem , vel sensationem in *sitis* organo
 perversam , ac inexhaustam bibendi necessi-
 tatem his in locis inducunt . Similia in ven-
 triculo , intestinis contingunt : ac non modo
fames morbosa , ardoris in ventriculo , vel et
 syncopis sensus , sed citissimus *chyli* , non
 adeo ob *stomachi debilitatem* , quam ob cele-
 riorem resorptionem , vix satis in *abdomine*
subacti , crudioris , secundas ad vias transitus
 promovetur . *Vasa cutis resorbentia* non mi-
 nus actionem in ambientem *atmosphaeram* ,
 insolitam exercent , ac *universo quasi corpori*
sipienti copiosum , quod ex illa offertur , hu-
 midum praecipitanter advehunt . A tanto li-
 quidorum undecunque resorptorum torrente ,
 continuo cum potulentis , tam avide ingurgi-
 tatis , ad renes directo , secretio cutanea lan-
 guescit , pellis aspera , quasi corium , exuri-
 tur ; cum interim materia urinas , quae non

modo liquidi ingesti, sed, brevi temporis intervallo, *totius aegroti pondus longe superat*, abundanter suggeritur; *principium nutriens*, tum illud, quod ex alimentis quotidie novum hauritur, atque, minus subactum, potissimum *saccharinae substantiae elementum* constituit, -- tum alterum, quod in animalem humorem jam conversum est, omne per tenes dissipetur, ac *tubes*, ut vocant, *ad matutam*, quae cum illa, quae in sexu sequiori ex *lactatione diurna vel galactirrhoa* (§. 552.) contingit, quamplurimum conspirare videtur, continuo increscat.

Hanc morbi, tam obscuri, originem confirmare videntur tum inexpectatus ac celerior plerumque diabetis ingressus; tum ordo ac natura symptematum non minus, quam latissima illius ad sexum, aetatem, temperamenta quaeunque, ac ad debiles aequa, ac robustos ad homines, extensio. Diabetis, quem *ossium emollitio* praecesserat, conservatum in fastis medicis exemplum non minus hoc spectat, atque stimuli, vasorum lymphaticorum actionem nunc in solida (§ 399.), nunc in fluida augmentis ideam nobis excitat. Nec alterum, quod nobis *in vitro* oblatum est, cui *diabetes*, dum pustulae summopere

ardentes, dolentes, ad coxas prodirent, illico (licet iterum sat longam post moram rediturus) disparuit, parci faciendum esse putamus, confirmatum simili aliorum observatione, exemplum. Quodsi vel *insipidus*, vel *decipiens*, ut vocavimus, *diabetes* difficultates hic pariant: hac forsitan, si *primum*, ex *chylo* in sanguinem suscepto *pauciori*, aut priusquam hic per urinas secedat, in animalem naturam jam magis, ac in diabete *mellito* locus est, converso, — *alterum*, si ex succo chyloso secundas ad vias copiosius citiusque resorpto, per potum tam copiose non hauustum, minus diluto, derivemus, non improbabili conjectura solvuntur.

Quodsi illorum, quae hoc in morbo praetaliis auxilio fuerunt (§. 483.), licet admodum inter se diversorum, agendi rationem diligentius rimemur; haec omnis in eo consistere videtur: quod stimulo, illi, quem morbi causa exercet, opposito, abdominales praecipue in nervos agendo, *sensationis* instantis et in fauibus *perversae* conditionem immutando, ac in universum, hoc ex loco, nervosum systema operando, lymphaticorum vasorum resorptionis in opere intemperantiam fraenaverint. Hoc scilicet modo, licet minus in-

tellecto , sicut illa , quae resorbentium vaso-
rum actionem intendunt , *hydropem* longin-
quum nunc alvo , nunc renibus expellunt :
ita laudata in *diabete medicamina* , moderato
violentae suctionis hoc in systemate impetu ,
tum *situm* intensam extinguunt , tum necessa-
riam *chylo* , quo rectius in primis viis subi-
gatur , moram concedunt ; tum denique cuta-
neae *inhalationi* praescriptos a natura limites
assignant . Qui *sitis* rationem in morbis in-
tellexerit : hunc latere non potest , a pauca
interdum bile corrupta , circa stomachum col-
lecta , a cibo putrido vel acri , ac sale con-
ditto , a minima ingesti veneni portione , quin
solo a spasmo , ac dolore abdominis violen-
to , insigne mox potus desiderium accendi .
Nec ignota esse possunt , quae a vermium
in ventriculo , intestinis , reptatu , in faucibus
ac vocis in organo contingant ; et ab ascarि-
de per ductum choledochum ad *hepar* dela-
to , vel ipsius *hydrophobiae* comparuisse sym-
ptomata . Hinc mirum non erit , si et *vermes*
interdum *diabetis* ad causas in pueris a qui-
busdam revocentur : cum istorum , hoc a sti-
mulo , urinae non raro tum quantitas augeri ,
tum lotium , seri lactis adinstar subalbescere
videatur ; et cum in uno ex nostris aegrotan-

tibus incredibilis ascaridum vermicularium in ano, *diabetes* tam praecesserit, quam perpetuo comitata sit, copia. Sed, nec ad sola *animalia*, nec solos ad *renes*, limitari videntur principii nutrientis, saccharici, morbosa secretio, excretio. Vel ipsa plantarum ad *folia* et *cortices* non raro gummosi, dulcesque liquores, ad stirpis ipsius *tabem* usque, transudant, et insecta, *aphes* innumeros, ut totidem parasitas, alliciunt. Ad cutem hominis, *sudor*, *mellea* dulcedine instructus, non semel comparuit; ac talem *sudoris colliquati* interdum esse indolem, non immerito suspiccamur (§. 471-), *Dulcissimam salivam* in morbis, alii non tam raro detexerunt; ac nota est *phthisicorum* plurimorum, sub fine morbi lethalis, insignis et ad nauseam usque molesta, *dulcedo sputorum*. Vel ipsum *aurium cerasum*, in sanis tam amarum, *dulcens* aliquando manifestavit saporem; as forsitan saepius, quam sciamus, saccharini et nutrientis principii per *chronicas diarrhoeas* jactura, tabis, illi, quam *diabetes* iudicat, aequalis, potissimum reddere nobis posset rationem.

§. 482. Ex dictis (§§. 480. 481.), quam *prognosis* veri *diabetis* infausta plerumque sit *prognosis*,

jam satis comparet. Non desunt quidem illius, feliciori sub omni, curati hinc inde, quae spem erigant, exempla: et ex nostris duos, salutem recuperasse reminiscimur; sed ut *ex viginti*, quos uno celebrique a medico conspectos fuisse legimus, *nec unus* quidem hoc a morbo liberatus est: sic et, qui perfecte apud nos convaluisse videbatur, et optimè nutritus per plures jam menses incesserat; ab eodem, ut nobis per literas innotuit, morbo, quo mense pridem incooperat,prehensus, perivit; alter vero aestivo sub tempore, quo morbus et alias, licet tunc minus, sopiri consueverat, ad suos, ut sanus, dismissus est. Hinc *senes* magis, quam *juvenes*, periculum hoc a morbo incurrere, nisi prognosi eadem ad omnes simul morbos extensa, vix dicere audemus; *nec*, an *bibaces* magis homines, quam alii, gravius a diabete plectantur, ut dictum est ab aliis, satis certo pernoscimus. Ubi febris jam lentae symptoma hunc morbum comitantur: tunc citius in pejus ruit, — sed interdum adhuc per annum et ultra vitam protrahit aegrotans. Vix non ubique se hydrops diabeti senescenti adsociat. An et hydrops interdum in *diabetem acutum* convertitur? Aegrotus certe,

qui rheumatica pleuritide , diarrhoea simul ac pedum oedemate affectus erat , ad *Clinicum* depositus , in *ascitem* , cum paucō primum lotio hic incidit . Post vigesimam a morbo diem augentur urinae , venter subsidet ; sed sitis ac fames increscunt . Mox potum longe superant urinae *non dulces* , et quotidie , licet alvus copiose semper flueret , ad *quindecim* , aut *decem et octo* , interdum *viginti quatuor ad libras* pallidae secedunt : donec morbo per dies adhuc sexaginta et septem , eodem tenore , protracto , extrema sub tabe , aegrotus exspiraret . Jam antehac conspeximus hydro- picos , quibus aquae , vel sponte ac paucarum intervallo dierum , per urinas impetuose pro fluxerant : quibus , insignem ad gradum emaciatis , pellis , inanis , ut saccus , ab ossibus pendebat ; et qui , cum de hydrope tam felicitate devicto laetabantur , post paucas modo dies exhausti , inopinato et medios inter congratulantes amicos , ut funus , concidebant . Horsitan urinarum , quod in istis negleximus , examen , non solas modo aquas , sed nutriens principium se per renes cum istis praecipitasse , in talia attentos docuisse . Qui morbi alterius *crisis* constituisset , verum *diabetem* , non vidimus .

Cura.

§. 483. Sub tanta causarum, quae diabeten inducere creduntur (§. 481.), ambiguitate, ac felicioris curationis, quae vel unam, vel alteram ex illis, ut proximam, confirmet, sub defectu, vix aliud hic a nobis expectari censemus, quam ut ea, quae pluribus profuerint, — atque alia, quae nobis ulterius hoc in morbo rebelli tentanda esse videantur, exponere moliamur. Nullibi plerumque Medicina auxilii tam egena est; quam ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possideri gloriantur theoretici; atque in ipso diabete tam multa, tamque contraria inter se auxilia laudata fuerunt: ut vel ex hac sola rationis mendendi inconstantia, plurimorum jam nimis manifestetur inertia.

Pro varia scilicet, quam sibi quisque de causis diabetis fermaverat, idea (§. 481.), nunc stimulantia, roborantia, adstringentia, nunc anodina, sedantia, nunc vero calculo adversa, vel et resolventia, et stomachica, et diaphoretica, vel demum antiseptica, in usum vocavit remedia. Hinc alii, *alumen*, aut in pulvere (N. LIX.), aut sero lactis solutum (N. LX.), bis terve in die, a scrupulo ad drachmam usque dimidiam, aut fer-

rum, aquas martiales pro potu, vel corticem peruvianum, aut quercinum, rhabarbarum, gummi Kino, quin ipsam cantharidum tincturam (N. LXI.), a guttis quinque ad decem, ac sensim sensimque ad triginta cum aqua, vel et balneum ex frigida, vel renum per fascias compressionem, in usum traxerunt; — alii, ad aquam e calce paratam, — hi, ad ea quae obstructiones reserarent, — illi, ad amara ciborumque digestioni faventia medicamina confugerunt; — vel calide alii ex balneo; ex variis diaphoreticis, in primis vero ex pulvere *Doveri* (N. XXXII.), a granis decem, ad viginti, triginta, quin gradatim ad sexaginta, quotidie ad noctem porrecto, auxilium petierunt; — alii quae sanguinem tenuorem inspissarent, vel acris in eodem involverent, demulcentia cum lacte porrecta, mucilagini, emulsiones ex gummi arabico, tragacantha, vel, quae putridam solutionem averterent, antiseptica ex cortice, vel et acidis mineralibus, praferenda esse luxerunt; ac demum alii, ut cutis spiracula, quae aquam atmosphaerae ex sinu nimis lvide haurire creduntur, obturarent, pellema integrain cum oleo sollicite ungendam esse putarunt.

Ex tam contrariis inter se remediis, tum pulverem *Doveri*, tum cantharidum tincturam, et alumem, frequentius, quam alia, profuisse, apud medicos Scriptores — sed in propriis nequaquam diariis, reperimus. In diabete *insipido*, ab adhibitis modo *decem* tincturae praedictae guttulis, pauciores quidem, sed cum dolore, mingebantur urinae: suspenso medicamine, dysuria disparuit; eoque iterum porrecto, remedium quidem pertulit, sed, vicinus iam morti, auxilium non habuit aegrotans. In alio, ejusdem tincturae dos in gradatim ad drachmam in die adauximus: sed licet urinae hac sub methodo difficulter non prodirent; earum tamen copia vix quidquam imminuta fuit. Feliciori cum successu ex nostris quondam *Auditoribus* unus, vesicans emplastrum ossi sacro imposuit, atque duos ab hoc morbo, aegrotantes restituit. In ipso vero diabete mellito, in quo nec alumem, nec tinctura cantharidum, nec pulvis *Doveri* cum camphora, nec corticis peruviani cum simaruba decoctum, nec demum myrrha cum sale martis, auxilii quid praestiterant: ab assae foetidae cum extracto myrrhae aquoso et valeriana, usu, conspicuum urinarum decrementum,


mentum, — ac tandem a *cupro ammoniacali*, bis in die a grano dimidio ad granum integrum porrecto, perfectam valetudinem, quam lautior simul victus confirmavit, obtinuimus.

In genere, sub tanta principii nutrientis per urinam jactura, atque sub fame tam insigniter in plurimis urgente, alimenta ad eam simul, quae vires in malo tam diuturno sustentet, quantitatem augenda, atque talia, quae succo nutritio abundant, quin eundem vel leviori digestionis sub opera profundant, eligenda sunt. Quam celerrime hoc opus in plerisque aegrotis absolvitur: hinc istis a cibo leviori et cum nimia facilitate extrahendo, mox novi latratus stomachi et ardores succedunt; vel chymus, vix ex ventriculo descendens, a potu tam largo abluitur, et diarrhoeae sub forma, quin emolumento esse possit, expellitur. In aegroto, cui alvus sub *diabete* quamplurimum fluebat, urinam copiosam quidem, sed expertem dulcedinis, observavimus; ac licet alter diarrhoeam cum lotio sat dulci hinc inde patetur, dulciorum forsitan sub alvo sicciori urinam minxitisset. Potulenta hoc in morbo

diversa, lac ipsum cum saccharo remistum, sat aequali cum rerum eventu, porrexiimus. Interrogatus, quem sibi minus officere, atque sitim magis extinguere sentiret potum aegrotus, *vinum* esse respondit. An *alcohol* aquae superadditum, ut et sitim in messoribus magis fallit, et liquida, ne cito nimis per cūtem aut renes aufugiant, cohibet, in diabete conduceret? . . . Ex acidis mineralibus cum potu remistis utilitatem, quod sciamus, non habuere aegroti. Qui acidum in primis viis praedominans interni ardoris pro causa aspiciunt: hi, aquam ex calce paratam cum lacte commiscent; sed morbum hoc potu non fraenant. Melius emulsio ex amygdalis et cum gummi arabico, quibusdām conduxisse videbatur. *Sudores* in *diabete*, si partis unius madorem excipiamus, a tepido nequidem balneo promoveri conspeximus. Nec *opium* aegrotis, nisi breve, solatium concescit. An *balneum vaporis* hanc cutis secretiōnem restituendo, morbosam simul vasorum resorbentium actionem inverteret? Ab *oleo*, quod cuti illinivimus, urinae copiam immuni non vidimus. Cum vero fauces tam insigniter hoc in morbo, nervorum, ut puta-

mus, ex vitio, siccescere observamus: an forsitan *mercurius*, vel excitata cum eodem *salivatio* conducerent! . . . Qui morbi, de quo agimus, *raritatem* considerat, is talia a nobis *dubia*, non *facta*, proponi, condonabit.





O R D. I. G E N. III.

ENURESIS.



Natura
morbis. §. 484. **Q**uem pro urinis, ne, perpetuo foecore molestae, indecore aufugerent, in pelvi natura recondidit, alveus: hic in sano animali per horas sat multas transmissum sibi a renibus lixivium, quin stimulum persentiat, conservat; donec et mole, et pondere, et acredine impuri liquoris adiuctis, pro potus, ciborum, transpirationis cutaneae, ac propriae capacitatis, sensibilitatis, consuetudinis ratione, admonitus, non sine pleno voluntatis arbitrio, vi sua, vel abdominalium musculorum, diaphragmatis auxilio suffultus, contenta vel placide, vel cum impetu expellat; aut, si aliter modestia, occupatio intensa disponant, diutius coercent. Hanc lotii, vel medio sub flumine, *retinendi* potentiam oeconomia animalis non proprio, qui deest,

sphyncteri, sed fibris a musculo, quem *anillevatorem* appellant, in subsidium vocatis concessit: ut quo *pseudosphynctere*, sub alvo fluente, laxato, urina nullum, quam comprimentis, aut compressae vesicae imperium agnoscit, ac nolenti animali subtrahitur. Diversis autem in morbis, quid quod apud pueros profundo sub somno, ac in sexu sequiori, cui debilior ad vesicam est custodia, sub variis positionibus, similia interdum contingunt: ac lotium, vel minori quantitate collectum, evacuationem, frequentia, non dolore, incommodam exposcit; aut antequam se homo ad mictionem componat, vel nolentis praecepitatur ex urethra, — aut somno detentis in lectulos aufugit, — aut insciis, delirantibus aegrotis per vias naturales, vel et alias, morbosas, quod *enuresin*, vel *urinae incontinentiam* vocamus, effunditur.

§. 485. *Enuresis* hinc est lotii, vel sani, *Definitio.*
vel morbosi, succedens praeter arbitrium ac
indolens ex vesica per urethram, aut per vias
non suas, stillicidium, profluviū; vel poten-
tiae urinam coercentis sublatum aequilibrium,
debilitas, aut perfecta abolitio.

§ 486. Diversa foedi hujus morbi (§. 485.) natura est: atque nunc prorsus nolentibus, aut insciis hominibus urina profunditur, et *completa* est *enuresis*; nunc vix admonitis de nova collectione, priusquam admiringendum se accingere quis possit, precipitatur (*E. incompleta*), — aut sub somni, vel animi delirantis ludibriis (*E. nocturna*, *delirosa*) subdole aufugit hoc lixivium; — atque talia, vel ipsius vesicae ob morbum (*E. idiopathica*), vel ob causas, quae in ista non resident (*E. symptomatica*), vel rarius (*E. accidentalis*), vel, consuetudine contracta, frequenter et longos per annos (*E. habitualis*) contingunt. A *diabete* (§. 478.) distinguitur *enuresis*, quod lotium in ista, neque copia, neque sapore, cum illius urina conveniat; quod sitis tam intensa non urgeat, nec tabes aegrotantem emaciet. Intem, quod in superioribus jam dictum est (§. 479.), cum *diabete* *enuresis interdum complicatur*, atque diagnosis difficultatem, nisi attento in singula animo, non parvam opponit. A *dysuria*, *enuresis* differentia, ob dolorem, ardorem, qui illam comitantur, sat facile eruitur; sed et has affectiones subinde *conjunctas* incedere non implicat; ac sicut

ipsam urinae, imperfectam licet, suppressionem simul cum enuresi incessisse haud raro conspeximus: ita, ex non absimili ratione, urinam subinde et cum dolore, et praeter voluntatem, in illis, qui abscessum aut ulcera vesicae ad collum, vel ad prostatam patiuntur, emitti videmus.

§. 487. Vix alia, quam recensita hucus que (§§. 484. — 486.) symptomata, vel illa, quae proprio vesicae, vel alii, hoc in viscus agenti morbo convenienter, in enuresi occurunt. Interim et foetor insignis, qui continuum urinae profluvium comitatur, atque a quavis societate humana aegrotantes excludit, et facilis genitalium, perinaei a tam acri liquore erosio, intertrigo (§. 397.) huc spectant. Puerorum in primis, ac senum, enuresis est morbus; sed et foeminae jam partum expertae non raro huic subjacent; et in genere hic sexus, ob dictas rationes (§. 484.), sub impetu, sub violentis vel tussi, vel cachinno, urinae portionem non raro invitus dimittit.

§. 488. Quod in aliis animalibus, — hoc et in homine, non ad vitae socialis urbani.

tatem ae modestiam, sed a sola natura ad turpitudinem educato, contingere videtur: ut, quo loco ac tempore ab urina vesicam stimulari persentiat, hoc statim ac sine pudore hunc alveum exoneret. An coeterorum *philli* animalium, humana ut proles, *sub somno* urinam deponant, nos quidem nescimus; sed certe nulli tam longa et incommoda, quam homini, est infantia animali; nec primis ad. huc plumis destituta avicula nidum, ut puer, conspurcat.

Debilitas.

Pseudosphyicteris debilitatem, relaxationem apud multos ut causam enuresis cum aliis admittimus; sed qui talem apud infantes aut pueros in se ipsos *sub somno* mingentes ubique supponunt: hi aut vesicae *sensibilitatis* majoris, aut propriae huic aetati incuriae, aut insomnii, ac pravae consuetudinis effectus cum vera debilitate confundunt. Non infrequens est interim *incontinentiae* haec ratio: et vel a casu, contusione ac vulnere perinaei, vel ab ani, vaginae, uteri, prolapsu, ab hernia vesicae, a calculo, collo istius diutius inhaerente, vel ruditer extracto, a partu diffcili ac longo, a nixu sub tussi ferrina, vel ad alvum reserandam violento, ab inflammatione colli vesicae praegressa, a

spasmo hujus visceris frequente, a veneris abusu, carneus hujus partis custos non raro debilitatur, relaxatur, distenditur, distractur, et a sphyncteris officio removetur. An corporis totius debilitas, sine vitio locali, enuresin apud infantes senesque producat, dubitamus.

Frequens, neque cum sola *debilitate* confundenda, incontinentiae urinae causa est *paralysis*: cuius origo nunc ipsum ad cerebrum, - plerumque lumbalium vertebrarum in antro, - interdum ad nervos colli vesicae ac pseudosphyncteris, delitescit. Ipsius quidem vesicae totius resolutio frequentius, quam colli aut sphyncteris solius paralysis, his a causis descendit, ac vitium *enuresi* oppositum, *retentio urinae*, si viscus ipsum resolvatur, inducitur; sed praeterquod utrumque hoc mali genus non raro conjunctim et eadem ex causa procedat; interdum ad sola nervorum, qui pseudosphyncteri concessi sunt, principia vel decursum, licet pathologicae sectiones id ubique non indicent, morbi causa haerere videtur. In febribus acutis, nervosis, aegroti frequenter, quod et ebriis hominibus contingit, urinam per stragula vel inscii, vel delirantes effundunt: ac primum

vesicae, mox et ani sphincteres officio praeesse recusant. In multis affectus soporosi, paraplegia, haemiplegia, hydrocephalus internus, ventriculorum cerebri hydrops, cyphosis, contusio, concussio, luxatio, fractura, caries, exostosis vertebrarum, hydrorachitis, aut hydrops in ossea hac specu, a nobis, vel adultos apud homines, aliquoties conspectus, depositio rheumatica, vel alia, inflammatio, abscessus, enuresin, plerumque cum urinae retentione complicatam, aut sapientius hanc solam, producunt. In aliis, calculi, aut fistulae ad anum suscepta sectio, aut longa in balneo frigido remora paralysin sphincteris pro effectu habuerunt. Hoc igitur vitalitatis ad inferius vesicae segmentum infractae, vel abolitae sub statu, urina vix ureterum ex ostiis in hunc alveum delata est: cum hunc ipsum decliviores per vias mox deserit, ac *sine sensu*, continuo per urethram obscoene distillat.

Sensibil.
augm.

Sed vel contrario ex vitio, *sensibilitatis*, *irritabilitatis* ad superficiem vesicae internam *intemperantia* vel nativa, vel per ipsam consuetudinem inducta, vel ex stimulo quocunque oriunda, urinae frequentius, quam par est, aut et praeter voluntatem redduntur. Sunt

certe, qui lotium sat diu, — sunt, qui per paucas modo horas, irritationis sine sensu, hoc liquidum retineant: quae diversitas non a sola hujus alvei capacitate minori, majori, — sed *propriae sensititatis* a gradu, vel a contracta, urinas aut frequentius aut rarius mittendi, *consuetudine* dependent. Quae, ab urinis soluta, forte solito vel parum acriora, vesicam alluunt: haec, licet ardorem nec dum, vel dysuriam inducant, mejendi necessitatem in pluribus mox augent. *Infantum* his a causis frequenter proficiscitur enuresis: ac interdum unius ejusdemque familiae proles ad unam omnes hoc vitio, non semper sine labis congenitae, scrophulosae, arthriticae dispositionis suspicione, laborant. Sic omnes parentum a podagra vexatorum filios ad pubertatis usque tempus, *enuresi nocturna*, quaecunque demum subministrarentur subsidia, pertinaciter afflictos fuisse novimus. Vix menstrua filiae proruperant: cum sponte ac praeter opinionem hic morbus dispareset; sed brevem post moram, haec ipsa *spasmodicum* in *asthma*, licet corporis eleganti firmo-que habitu gauderet, conjecta, et *herpetibus* hinc inde ad cutem notata est. Quibus aut renes a calculo, aut urethra ex *blennorrhœa*

irritantur: his et vesica redditur sensibilior; et hac ultima jamjam dispersa, hoc receptaculum a minori, quam pridem solebat, urinae quantitate ad istius excretionem sat diu solicitatur. A rheumatico, catarrhalis vesicae affectu, a chronica hujus visceris phlogosi, a sanguinis menstrui, haemorrhoidalibus, has ad partes congestionis, quin dolor ubique se prodat, — et interdum, ut diximus, a solo eum partibus aliis consensu, hujus alvei sensibilitas et mictionis frequentioris necessitas non raro increscunt. A spasio vesicae, vel abdominalium musculorum violento, urinas cum impetu expelli, epilepticorum exemplo comprobatur. An et vermes subinde vesicam humanam extimulant? . . . hyadites cum urinis excretae, et qui canum in renibus, ac, prout nos ipsi conspeximus, in ejusdem animalis vesica, reperti sunt vermes ascarides, a polyposis concretionibus his in locis interdum reperiundis, ob organicam structuram diversi, vermium in vesica repertorum exempla de hominibus, a variis Scriptoribus adducta, confirmare videntur. Ex recto intestino per ulcus in vesicam intrasse, de quibusdam, — sed, quod canis exemplum sami nos docuit, non de omnibus dicendum est.

Quaecunque vesicae cavitatem imminuant: Vitium ex
genicum.
 ut ejusdem, ab utero scirrhoso, cancroso, hy-
 dropico, vel steatomate praemagnè, vel et
 ossea substantia, quae in museo pathologico
 possidemus, vel polypis repleto, vel gravi-
 do, — a foetus capite, aut clunibus, a
 scirro intestini, mesocoli, vesicularum se-
 minalium, angustatio, compressio, — mem-
 branarum, quae vesicam componunt, vel
 universalis, vel circa collum, ab ulceribus,
 a calculo inducta crassities, callositas, —
 excrescentiae fungosae, polyposae, iterumque
 calculus, tumores purulenti, scirrhosi, quae
 vesicae portionem inferiorem occupando, uri-
 nam ab eadem excludunt, contractionem aq-
 ualem, aut pseudosphynteris actionem im-
 pediunt, vel mingendi necessitatem perpe-
 tuant; — haec singula mox *enuresin*, mox
 vitium huic oppositum, mox illam cum isto
 conjunctam, constituunt.

Huc spectat urinae, vitio aut congenito,
 aut a praegressa inflammatione, exulceratio-
 ne vesicae derivando, per vias haud natura-
 les, atque voluntatis imperio nequidquam
 subjectas, ex hypogastrio, umbilico, peri-
 naeo, intestinis, contingens egestio. Sic ve-
 sicam sub abdominis integumentis ad pubem

prolapsam , ac dupli exteroque ostiolo ob-
scoenum liquorem perpetuo exstillantem
Bruehsaliensi in juvene , ac in tenero infante
conspeximus ; post longas ischurias urinam
per urachum sibi vias aperuisse , experientia
testatur ; a mesocoli carcinomate cum vesica
cohaerente atque corroso , istius , et intestini
communicationem , — atque similem in re-
etum intestinum vesicae aperturam in vitro a
dysenteria , — et in altero , ab haemorrhoi-
dali inflammatione correptis , observavimus ;
ex prostatae suppuratione , ulcere venereo ,
aut ex calculi sectione , frequentes ad peri-
naeum urinales nascuntur fistulae ; ac mulie-
ribus non paucis a partu difficiili , artificiali ,
ex inductis colli vesicae , ac urethrae inflam-
matione , concretione , ac subsequente lacera-
tione vel ulcere , urina , foedo per vaginam
aut alvum spectaculo decurrit ; atque tribus
in viris , in exemplum hic adductis , nunc
flatus , nunc faeces per urethram exivisse de-
teximus .

Prognosis.

§. 489. Cuivis ex enumeratis (§. 488.)
incontinentiae urinae speciebus , sua et propria
est prognosis . Quae solam debilitatem pro
causa agnoscit , nec diu continuaverit , — quae

modo sub somno profundo, longiori contin-
git: ea remediis, opportuna vivendi ratione,
adhibitis, vel sponte, crescentibus annis, dis-
paret. Quam herniae, prolapsus inducunt,
hanc repositio sat cito suscepta dispellit.
Quae ex *paralysi* descendit, incontinentia;
ea, nisi causâ illius mox ab initio sublata,
perraro, — ac si talem auferri non liceat,
nullo tempore sanatur. In morbis acutis,
enuresis, cum simul alvi excretio praeter arbit-
rium accedat, frequenter, non tamen ubique
mortem praenunciat. Quae ex *morbosa* ves-
icae *sensibilitate* proficiscitur: ea, si causam
istius dissipate valeamus, vel tractu temporis
et sponte cessabit. Ex pessimis est enuresis,
quam *vitium* vesicae, aut partis vicinae, orga-
nicum induxit; atque sic malo, de quo agi-
mus, ex causarum, quibus debetur, consi-
deratione potissimum eruenda est prognosis.

§. 490. Ut quovis alio in morbo, sic et *Cura*
in *enuresi*, praecipuum curationis momentum
in causis removendis consistit: quod, cum
frequenter obtineri non queat, imperfectam,
aut nullam hoc in casu medelam aegritudo
admittit.

E. ex debil. Nascentem ex debilitate incontinentiam, nisi provectam nimis, corroborantia, excitantia, ipsi loco affecto admota, feliciter dispellunt. Hinc repetita partium vicinarum in frigidam immersio, frigida, vel spirituosa, aromatica fomentatio, linimentum volatile cum oleo nucistae expresso, *perinæo* apposita, clyster frequens cum camphora ex corticis decocto, quod ultimum et interne cum rhabarbari aequa portione adhibendum est, praecipue indicantur. Interdum tinctura cantharidum a quinque guttis ad quindecim, viginti, cum debita cautela, bis in die, ex aqua porrecta auxilium concessit.

**E. ex pa-
ralysi.** Non multum diversa, sed longe diffi- lior, ac plerumque infœsta est enuresis ex *paralysi* medela. Praeter ea igitur, quae morbum primarium, aut praegressam apoplexiā; paraplegiam etc. concernunt, tum dicta jam remedia in opem trahenda sunt, tum vesicans ossi sacro imponendum, regio lumbalis linimento volatile cum camphora ungenda, viresque electricitatis, ab ossis sacri confiniis ad perinæum, dirigendæ sunt. Injectiones ex cortice peruviano paratae, hoc vesicae sub statu, per urethram mox refluxunt, atque in

in illius universalis paralysi nobis, licet retentae, perparum praestiterunt.

Quibus urinae ex nimia vesicae irritabilitate, sensibilitate, vel citius, frequentius, quam par est, vel praeter voluntatem se praecipitant: his, suppressa primum, aut saltem moderata morbosae dispositionis origine, remedia ex causae ipsius cognitione petenda, atque hinc alia aliaque conducunt. Sic, ubi suppressio menstruorum, haemorrhoidum, plenitudini vasorum circa vesicam, atque tensioni, nimiaeque mobilitati occasionem praebeuerint: hanc tollunt appositae vel pudendis, vel amo, perinaeo, hirudines, enema, fomentatio ex frigida cum aceto. Si ab acri rheumatico, vel alio sensibilitatem perversam contraxerit vesica: remedia huic acri corrugendo, ab hoc viscere avertendo, idonea indicantur. Quam calculus hoc in receptaculo contentus irritationem inducit, hanc sectio illius avertit; vel, si ab instituta operatione, vel post blennorrhoeas jam abactas, vel post alios spasmodicos affectus, vesica morbosam sensibilitatem diutius manifestat, opium sat larga dosi per clysteres intestino injectum conducet. Infantes sub nocturnis insomniis in se ipsos mingentes, ad coenam tum poti

E. ex sensibil. excessu

copioso, tum cibis, qui urinae copiam adau-
gent, abstineant; ut lotium, quo lectulum
petunt tempore, deponant, avertantur; ac
hora nunc ista, nunc illa, ex somno longiori,
ut vesicam exonerent, evigilentur. Nec minae,
nec verbera, nisi ratio et pudor, aut aetas
major id faciant, habituali huic vitio meden-
tur. Si forsitan universalis debilitas cum ni-
mia vesicae sensibilitate conjuncta videatur;
tunc chiae decoctum, ac coetera roborantia,
— atque si per consensum vesica stimulari
videatur, nunc opium, nunc illa, quae lon-
ginquae irritationis causam debellent, in usum
trahenda sunt.


E. ex vitio
organ.

Orientem *ex vitio organico* enuresin vix
unquam medicina dispellit. Interim si urethra
mulieris, ex partu difficiili, in vaginam ape-
riatur; cathetere flexili ad vesicam ducto,
ac lotio per illum, tempore sat longo, soli-
cite evacuato, raro quidem, sed interdum
urinae per vaginam defluxus avertitur. Vix
unquam tam felices esse licebit, si vel ipsa
vesica lacerata incontinentiam producat; in-
terim genuensis nobis exemplum juvenis no-
tum est, cui vesicae abscessus cum recto in-
testino sat aperte communicans, vel solius
auxilio naturae sanatus est. Quam caput fac-

tus, vel uterus gravidus in vesicam exercet,
haec saepe facili negotio aufertur, compressio.
Vesicae scirrhos, callositas, excrescentiae,
nullum ab arte humana auxilium admittunt.

Quo igitur in casu enuresin auferri non
licet: urina, saltem, ne foedo spectaculo
noientibus effluat, ac partes subjectas erodat,
instrumentis, quae *Chirurgia pro sexu quovis*
suppedidat, colligenda est.





ORD. I. GEN. IV.

PTYALISMUS.

§. 491. Fons triplex saporis atrium irrorat, atque subtilem, penetrantem ille vaporem ubicumque exhalat; hic blandam, lubricantem lente eructat pituitam; tertius insipidam limpidissimamque undam nunc plaside scaturit, nunc rapidam ac divitem cum impetu expellit. Insignis hanc ultimam, pro cavo non magno, glandularum congeries, vel sponte, vel nervorum imperio, irritatione quacunque, pressione coacta, profundit: nec febris hanc pereanem scaturiginem, ut illam mucem, aut vaporis in ore penitus exsiceat. Ex cognita hucusque salivae humanae analysi, vix tanta, ut vel ab aqua puriori suppleri non posset, nobilitas resplendet; et animalis naturae, praeter suam originem, hic liquor vix multum ostendit; sed aliter nos docent digestio-

nis ciborum sub nimia ejusdem jactura lan-
guentis effectus, — aliter observatio, apes-
to scilicet, sub artificiali salivatione, hoc
fonte, principium vitale has per vias, quasi
in ipso diabete per renes, ruisse, — sape-
rem hujus liquidi, cum sano in homine nul-
lus esse consuevit, conspicuam in aliis *salse-*
dinem, in aliis *dulcedinem* insignem ac mel-
leam prodidisse, — febres malignas, nervo-
sas non modo praecipuam depositionum cir-
ca glandulas salivales sibi sedem eligere; sed
per abundantem saliva fluxum, quem aph-
thae non producant, non raro dispergi (§.
91.); — hunc ipsum liquorē potissimum
hydrophobiae vehiculum, cuius unica jam gut-
tula hunc morbum in sanos propaget, con-
stituere; — ex omnibus humani animalis se-
cretionibus nullam a solo nervorum imperio
tam celeriter, quam istam intendi, — insigne
glandulas salivales inter et testes, et mam-
mas (§. 174.) et ventriculum, et ipsa inte-
stina sensationis commercium existere: quae
singula, saliva dignitatem, tum sano, tum
aegrotante in homine, abunde demonstrant.

§. 492. Quodsi igitur salivalis hic liquor Definitio.
(§. 491.) copiosius, quam naturae ad usus

requiratur, secretus, aut continua atque molestam deglutitionem exposcit, aut ex ore praeter modum ubertim distillat, aut, ob ductus laesionem, se per genas praecipitat: *ptyalismus, salivatio vocatur.*

Differen-
tia.

§. 493. Ptyalismus vel sponte ab ipsa natura promovetur (*P. spontaneus*); vel ab arte inducitur (*P. artificialis*); atque ille vel *primarius* est (*P. idiopathicus*); vel morbi alterius *symptoma* (*P. secundarius, consensualis*) constituit. In quibusdam saliva non semper, sed *periodice* ex ore distillasse observata est (*P. periodicus*). *Epidemicam* interdum ptyalismus, *secundarius*, ut credimus, naturam assumxit (*P. epidemicus*); et *criticae* salivationis, tum febrilibus, tum aliis in morbis exempla numerosa (*P. criticus*) habentur. Ptyalismum *traumaticum* vocamus, cum saliva ob ductus proprii laesionem exterioram, ut plurimum eopiosius, quam naturales per vias fecisset, delabitur.

Symptoma-
ti.

§. 494. Rarior *spontaneus ptyalismus* est, qui ex propria glandularum salivalium affectione descendat; frequentior ille, qui aliis sub morbis symptomatice propullulat. Quo-

onque tamen hic modo nascatur, oris antrum continuo limpidissimi liquoris, vel simul muci, affluxu obruitur, et ad continuos screatus urgetur. Spumosam saepe indolem a muco commisto saliva assumunt, atque vel loquente, vel dormiente aegroto, per labia et mentum, nauseoso aspectu, distillant; vel qui clauso forsitan ore obdormiunt: hi, suffocationis, ab irruente per laryngem saliva, metu perculti, desiderato a somno arcentur. Rarum est salivam tam copiose secretam non alio simul vitio laborare, quo cavum oris a phlogosi correptum, ab ardore, calore ac pustulis ulcerosis inquinatur. Interdum dolor ac tumor ad glandulas parotides, submaxillares, conspicuus occurrit. Sunt, quibus, ob miram ad partes faciei laxitatem, salivae per flaccida et pendula oris habra continuo derivantur; atque alii, vel sola consuetudine, vel a copia saliva inducti, lacu salivali vicina sibi loca quaecunque inundant. Omnibus vero a quotidiana salutaris liquoris jactura digestio ciborum difficulter absolvitur; et corpus, sub majori illius dispendio, quod salvationis mercurialis exemplo docemur, contabescit. Qui acida, vel pingui et rancia ventriculi, intestinorum saburra laborant;

hi, praevia ustionis, et quasi flammae ex stomacho per oesophagum ascendens molestissima sensatione, limpidissimi liquoris quantitatem, sine vomitu, sat magnam, cum levamine eructant. Hic liquor, licet imo a pectore aut ventriculo ascendere videatur, salivalis protinus naturae est, et quasi metallico sapore instructus, cum maxima oppressione, anxietate rejicitur. Potatores hoc malum, sub horis matutinis, frequenter molestat.

Cause. §. 495. Si majorem nervorum in glandulas faciei conglomeratas potentiam excipiamus, qua, ferculi desiderati odore, aspectu, vel sola percepti quondam saporis recordatione, saliva cum impetu jam prosilit; non aliis ex causis salivae, quam aliorum humorum (§ 466.) secretio naturalem excedit. Qua demum ratione *mercurius* salivam praetulit secretioneibus, quacunque sub forma porrectus, tam facile ac potenter adaugeat: hoc, sicut ex lege stimulorum generali explicari non potest; ita certam humoris salivalis cum hoc metallo *affinitatem*, licet minus intellectam, supponere videtur. Huic similem quodammodo subtiliora pestilentialium morborum contagia (§§. 83. 92.), externae cy-

nanchis causae (§§. 174. 176.), atque criticae salivationis materia incognita, sat evidenter ostendunt; quamvis quicunque stimulus, oris cavo, vel ipsis glandulis salivalibus admotus, ut a sola jam fumi tabacini suctione appareat, eosdem effectus producat. Sic dentitionis difficultas sub opere, a dente carioso, a dolore, seu trismo, ut vocant, faciei, a gingivarum exulceratione, a linguae, aut faucium inflammatione, mandibulae fractura, vel tetano, convulsione, quin a sola jam oscitatione, glandularum, ductuumve salivarium a musculis compressione, a calculo sub lingua, vel in ductu salivali haerente, copiosam aegroti ex ore salivam profunduat; et ab aphthis deciduis, non minor humorum ex buccis excretio succedit. Suppresso ex pedum refrigerio, aliave ex causa, perspirabili vapore, vel reorum secretione imminuta, vel menstruis obstructis, vel adeo sub menstrui in teneris virginibus principio, sputorum interdum mox copia augetur. Salivatione precedente, alvus dura, urina pauca, secretiones omnes parciores observantur; a diarrhoea suborta, vel perspiratione adiuncta non raro ptyalismus dissipatur; ac ad salivationem a mercurio praeveniendam, non certius, quam


tepor atmosphaerae, et aucta transpiratio, remedium habetur. Sed jam scelus ad ventrilenum, ad intestina stimulus abundantem mox prolicit salivam. Ex nausea, vomititione, copiose hic latex ex ore distillat; a scirrho oesophagi, gastritide, cardialgia, a colico dolore, a vermium reptatu, similia contingunt. Vel a sola conceptione, quanta non a gravidis sputorum rejicitur copia! et quanta non ab hypochondriacis, hystericis, melancholicis, ab illis, qui acidam aut ranidam in ventriculo saburram circumferunt, aut a *pyrosi*, exspuitur saliva (§. 494.)! In homine ex *pancreate scirrhoso* contabescente, ad decem haec ipsa libras quotidie rejecta est. An oriens a suppressa salivatione diarrhoea, ex aucta ejusdem naturae *pancreatici liquoris* secretionē descendit? Abundantem numerū salivationē in vitro conspeximus, cui *paralysis ad linguam, intacto saporis officio,* pene omnia hujus particulae, quasi tabe laborantis, motum abstulerat. Coeterum, quae a faucium, genarum, phayngis paralysi subsequitur salivatio, ea plerumque non ex aucta salivae copia, sed ex muscularum, hunc liquorem coercentium, inertia, aut ex deglutitione impedita, per mentum delabitur.

§. 496. Sub tam raro salivae *primario* est. Prognosis: fluxu, *prognosis* momenta ex historia morborum, quibus ptyalismus ut *symptoma* accedit, repetantur oportet. Qui sub fine morborum, siue virium jactura majori contingit: hic salutarem plerumque illorum per has vias solutionem praedicit; atque talem per plures hebdomadas cum evidente beneficio fluxisse conspeximus. Qui salivam vel ex mala et indecora consuetudine, vel ex rebus acrioribus, masticatione, suctione tractatis, copiose rejiciunt: his ciborum digestio labefactari, atque aliae secretiones excretionesque immuni observantur. A fortiori, neque critico ptyalismo, ut ab eo, quem pridem ad luis venereae curationem promovebant, non minus ob humoris nobilioris jacturam, quam ob impedita masticationis, atque ob somni denegati rationem, extrema corporis debilitas ac macies brevi tempore inducuntur.


§. 497. Quae ratio medendi *secundario* ptyalismo conveniat; hoc vel aliis hujus operis in locis jam expositum est; vel in sequentibus succincte tradetur. Quae ex propria glandularum affectione descendit, rarissimis.

sima est salivatio, atque ex stimulo his organis proxime admoto, plerumque, ut videatur, catarrhali, rheumatico, facilius, quam ex sola debilitate, explicatur. Talem nos ipsi *habitualēm* in juvēne conspeximus, atque alterū ptyalismi, sex jam per annos verno tempore recurrentis exstat de foemina exemplum. Si calculus salivalem ad ductum aut glandulam suo stimulo ptyalismum inducat: peregrino hoc corpore prudenti sectione ablatō, importuna simul exsiccatur salivatio. Quā sibi methodum *traumaticus* ptyalismus exposcat, Chirurgia nos docet. Ex quocunque demum stimulo glandulae salivales irritantur; fomentatio nunc sicca ex farina, vel cineribus cum herbis aromaticis atque camphora remistis, nunc humida ex emolliente decocto, cataplasmate, seu calor loci affecti aequalis, moderatus, plerumque conducunt. Salivationem rebellem vesicans nuchae appositum hinc inde moderatur. In aliis, balneum, et quae pellem ad sudores disponant, evacuatio alvina, profuerunt. A collutoriis vi adstringente instructis, in primario ptyalismo, vix multum exspectamus; atque in genere retinendum est: salvationem. quae morbo rum ut *crisis* incedit, cum periculo repellit;

et vel symptomaticum ptyalismum, ne diffi-
cili diarrhoea insequatur, cum prudentia
majori esse pertractandum.



O R D. I. G E N. V.

EPIPHORA.

De lacrym. §. 498. *E*piphora*e*, ut *symptomatis*, quod oculorum inflammationem frequentius comittatur, alibi (§. 150.) mentionem jam injecimus; sed, licet profluvii hoc genus rarissime primarios ad fluxus pertineat; ejusdem nihilominus considerationem, ut Medicorum attentione non indignam, pro meliori systematicis morborum intelligentia, hic breviter resumimus. Non paucis quidem animalibus lacrymales glandulas natura distribuit; sed nulli ex istis tam durum ac frequens, quam generi humano, hoc de fonte hauriendi, imposuit onus. *Lacrymarium* vero sub nomine tam rorem illum, qui ex oculi et contigua palpebrarum superficie *insipidus*, ut videtur, evaporat, quam commistum huic ipsi *salsum*, et ex glandulis sibi propriis distillantem, hu-

morem intelligimus : qui , licet ob separatio-
nis solius intemperantiam vix debilitatem indu-
cat ; ob organi tamen hunc humorem aut secer-
nentis , aut continentis , aut ab oculo able-
gantis vitium , incommodam ac foedam ae-
gritudinem , quam *epiphoram* dixerunt , con-
stituit . Naturam lacrymarum quod attinet ,
ea , si extremam oculi sensibilitatem consi-
deremus , in propria , nec a longiori stagna-
tione acquisita , sed recentissimo liquori jam
concessa , et ipsius adeo urinae acorem su-
perante *salsedine* , jam primo aspectu non in-
dignum admiratione argumentum nobis offert .
Limpidus nempe et inodorus , sed , si modo
pauca *dulcescentis* sub ophthalmia lacrymae
exempla excipiamus , ubique *salsus* hic liquor
secernitur : qui , ut recentior Gallorum analy-
sis demonstrat , aquam distillatam pondere
modo parum excedit ; tincturae heliotropii
colorem non immutat ; sed maculam in char-
ta , vel a violae , vsl a malvae succo coeru-
lea , constanter *viridem* inducit , super igne
copiosas et aliqua tenacitate non destitutas
bullas mox contrahit ; lentius et solo ab aere
exsiccatus , *crystallos* ex paucō sale marino
et materia alcalina compositas , — citius ve-
ro ab igne inspissatus , reliquias , vix partem

centesimam et quartam constituentes, olei et aquae pauxillum, ac tandem carbonem salina materia onustum subministrantes largitur. Hie liquoris miserorum principia tam calculorum, in caruncula, in sacco lacrymali reperitorum, quam crystallorum ex acido amararum, sub ophthalmia ad palpebras observatarum, historia illustrant. Vel ipsum *sanguinem* non tam raro cum lacrymis se miscuisse, vel *coerulei*, aut *lactei* coloris materiam circa limbum palpebrarum haesisse, exempla testantur.

Definitio.

§. 499. *Epiphora* igitur est lacrymarum, non tam animi dolentis, quam morbosae affectionis imperio inducta, profusio.

Different.

§. 500. Rarior est, quam *primariam* vocari licet, *epiphora*, et *lacrymae* plerumque ex alio, quam ex proprio has secernentes organi vitio, abundat, aut palpebris auffiunt. Est interim, ubi glandulae lacrymales, ut de salivalibus jam dictum est, a phlogosi leviori correptae, aut quocunque demum stimulo agitatae, vel uberiori secretioni indulgere, vel secretum humorem citius, quam par est, e propriis canaliculis emittere videntur.

videntur. Num sola *debilitas* a *praeviis ophthalmiis*, vel a *studiis immodicis* inducta si-
ne majoris sensibilitatis ratione, *epiphoram primariam* relinquat, dubitamus.

§. 501. Evidenter in homine, quam in quovis alio animali, sub tristi mentis affectu delacrymatio est; atque nil impedit, quin et hunc vitae statum breviores ad morbos refe-
ramus. Plerumque oculorum aliquis pruritus, tremula pupillae inundatio, palpebrarum angustatio, nictatio, suspiria, respiratio inae-
qualis, retractio labiorum, has procellas an-
nunciant. Mox humer oculis circumfusus tam a punctis lacrymalibus suscipitur, atque naribus celerrime advectus, frequentius emun-
gitur; quam guttatum per genas se praecipi-
tat. Quem longa inspiratione pulmones aerem profundius inspirarunt, hunc, a diaphragmate succussi, cum impetu, ac mira vocis infle-
xione per vices expellunt. Sunt interim, quibus lacrymae sine fletu, ac furtim palle-
scentes per genas delabantur; atque sub diu-
turno illarum effluxu, calor, rubor, et quasi phlogosis oculorum, palpebrarum, vix ce-
landa per horas, doloris vestigia relinquunt.
Vix autem hae, tam communi hominum

Natura.

sorte expressae ad *epiphoram revocandae* sunt lacrymae; sed vel ex aucta per causas alias in glandula lacrymali secretionē, vel ex impedito humoris ad nares defluxu, hic idem, non raro manifesta simul accredine instructus, per genas, quas interdum arrodit, inflamat, devolvitur; atque ingrato non minus aspectu, quam visus obnubilatione manifesta, oculū sub animo quieto *lacrymantem* constituit.

Causæ.

§. 502. Est aliquid in lacrymarum secretionē, in primis apud hominem, quod non satis intelligamus: singulare nempe moeroris, gaudii, tenerae misericordiae in glandulam lacrymalem imperium, ut, si modo salivae in esurientibus celeriore affluxum exceptiamus, nullibi tam subitaneus, tam involuntarius, tamque conspicuus in organum secernens effectus, - eo major, quo sensibilior est homo, apud infantes atque mulieres certe maximus, habeatur. Sunt adeo inter istas, quibus sub ficto protinus dolore, aut tenero affectu, lacrymae, prout occasio ac astuta voluntas id jubeant, copiosae prorumpant. Interdum non ab animi tristitia, vel organi ex vitio, sed ab incognita nervorum affe-

ctione, similis in glandulas lacrymales, quam a fortissimo moerore, actio se prodit: ut plurimas, sub fletu involuntario, fere per horas extenso, lacrymas ab hystericis, hypochondriacis aegrotis, cum nullam sibi fletus causam esse fatentur, effundi videamus. A fortiori tamen animi dolore, lacrymarum secretio impeditur; et, quod mirum est, a fluxu istarum abundante, non exiguum modestiae solamen obtinetur. Sunt, quibus, ob constitutionem peculiarem, ab animi tamen insensibilitate longissime diversam, nec moderatus, nec summus moeror oculos vel unquam humectet. Facillimos in lacrymas et fletum, post apoplexiam, paralyses, aegrotantes deprehendimus; ac in febribus nervosis, sine animi consensu, liquor ille ex palpebris decurrit. Interim ex nervorum irritatione pars maxima lacrymarum scaturit. Sub dentium dolore feroci, aut mechanico nervorum, qui hos ipsos, aut nares adeunt, stimulo, copiosa mox lacryma distillat. A corporibus peregrinis oculo illapsis, a trichiasi, distichiasi (§. 150.), — a quovis acri, tum oculis, tum naribus admoto, ut a fumo, vapore spirituoso, ab allii, ceparum, raphani rusticani odore, masticatione, quin a frigore,


vento, a luce vividiori, lectione longa, in primis nocturna, a contagio morbilloso, varioloso, a phlogosi catarrhali, effectus iidem habentur. Nec minus sanguinis subitanea et impetuosa, sub tussi, risu, sternutatione fortiori, ad caput congestio huc spectat. Similia occurunt, si vel palpebra inferior praeter modum relaxetur, vulneretur, erodatur, aut, extrorsum conversa (*ectropium*) lacrymas, quod et tumor ad carunculam lacrymallem (*encanthus*) facit, ab oculi cantho interno divertat; vel si puncta lacrymalia, aut continui his saccus, aut ductus, a tumore, ab inflammatione catarrhali, rheumatica, variolosa suppuratione, materia tenaci, a polypo, vel a calculo, vel quovis demum modo, angustentur, exedantur, obliterentur, atque superfluum ad oculos humorem ad narres, forte simul a polypo infarctas, obstrutas, transmittere recusent.

Diagnosis.

§. 503. Nisi partium, quae lacrymas coercent, abducunt, ex vitio epiphora contingat; haec ipsa, in febribus praesertim, nunc morbillos, interdum et variolas, futura, nunc instantem per narres haemorrhagiam, nunc deliria, significat. In febribus

nervosis, lacrymatio pejoris indicii dicenda est. Frequenter foeminarum, quae fluore albo laborabant, oculos quasi lacrymis innata-re conspeximus. Quae ex vitio canarium lacrymalium originem trahit, aut a longo jam tempore continuat, epiphora, ea, pro causæ ratione, aut difficilem, aut nullam curationem admittit.

§. 504. Cum ex alio magis, quam organi secernentis e vitio, lacrymarum profluvia succedant: medendi methodus, ad morbi causas potissimum dirigenda, aliis hujus operis e locis, atque ex chirurgicis notionibus plerumque eruenda est. Quam nimia oculorum sensibilitas lacrymationem excitaverit: hanc paucis tincturæ thebaicae (N. XIX.) guttulis, quotidie in oculum stillatis, corrigimus. Si debilitas organi sensititatis intemperantiam aut produixerit, aut comitetur: tunc junctum opio saturni extractum (N. LXII.), — et si ab acri, stimulante materia lacrymarum secretio augeri videatur; vesicans emplastrum temporum regioni appositum, atque illa, quae in ophthalmia his a causis excitata comendavimus (§. 154.), indicantur.



O R D. I I.

P R O F L U V I A M U C O S A .

G E N. I.

CATARRHUS.

Introduct.
gener.

§. 505. Consideratis hucusque (§§. 469. — 504) profluviis, quae tenuiorem atque *serosam* animalium humorum partem dissipando sanitatem offendunt; ad earum nunc, quae *mucosa*, vel simul *lymphatica* sanguinis principia disperdunt, considerationem nos accingimus. Haec quidem, nutritioni potissimum dicata, materia, tum ipso cum sanguine, tum in primis seroso cum latice tam intime conjuncta incedit: ut apertis, cujuscunque demum generis, vasorum ostiis, vix unum, sine altero, liquidum aufugiat; sed concessa aliqua mucosis principiis quiete, vel obstaculo naturali, morboso, celeriori humorum cursui opposito, vel mutatis vasorum secer-

nentium, ex inducta laxitate, aut et stimulo majore, officiis, — haec seri, animali cum glutine unio ac affinitas tam intima infringitur; ausigit illud, aut a vasculis resorbentibus abducitur; ac solvente sibi ablato vehiculo, nutrientis materiae junguntur magis, magisque cohaerent principia: in lympham, a qua non aliter, quam sanguis ab ista, perfectae scilicet elaborationis ab organis animalibus necdum expertae ratione, differunt, non magno intervallo abitura. Hinc ab exigua hujus nobilioris principii continuata in longum jactura, longe major, quam a profluvio seroso, nisi forsitan cum lymphatica substantia uberior saturato (§§. 473. 480.), in sequitur debilitas ac macies; nec paucae, per quas corpus humanum hoc necessario nutritionis adminiculo defraudetur, sunt viae, quas singulas attente a nobis investigari nunc interest.

§. 506. Ac primo quidem *catarrhus* considerandus hic venit: qui scilicet in membra nae pituitariae, per vias respirationi patentes extensae, affectione, plerumque ex suppressa transpiratione orianda, frequenter febili, plus minus inflammatoria, ac molesto vano.

Definitio
catarrhi.

que, ad partem, nunc istam, nunc illam, exeretionis molimine, vel, primum, in serosae, salsaæ et acris, — ac tandem in densioris viscidaeque materiae rejectione constit.

*Species va-
tiae.*

§. 507. Pro tanta vero antrorura, sinuum, anfractuum, canarium, quae aer, respiratio-
nis sub opere, continuo allidit ac permeat, amplitudine, extensione, — pro tanta mem-
branae, quae haec spiracula investit, sensibi-
litate, mollitie, — pro tanto nervorum, va-
sorum, glandularumque numero, — pro tam
insigni inter se ipsa, et longinquis cum par-
tibus, consensu, — pro functione organo-
rum tam diversa, pro corporis dispositione
praegressa, vel debili et laxa, vel firma et
robusta, — oportet morbum, liget originis
et causae agentis ratione prorsus eundem,
diversa tum in locis affectis, tum in aliis,
vicinis non minus, quam distantibus, et in
variis hominibus, symptomata agnosere:
quae interim, quamvis et exitus, et methodi
medendi respectu non ubique in omnibus,
conveniant, uno nihilominus eodemque tra-
ctatu absolvi, et, quibus inter se confluant,
lege, ac ordine exponi merentur.

Nunc vero, *coryzae* sub nomine, *cava na-*
strum, ut *sinus frontales*, *sphenooidales*, aut
antra maxillaria catarrhus occupat; nunc fau-
cibus, velo pendulo adhaeret, ac descriptam
jam alibi (§. 172.) *cynanche* *catarrhalem*,
— vel, ad laryngem extensus, raucedinem,
seu *branchium*, — atque tam dictum ad lo-
cum, quam ad *trachaeam*, aut ad *bronchia*
defixus, *tussim*, seu *laryngis*, *tracheae*, *pul-
monium* *catarrhum*, constituit. Pro varia ori-
gine, ac pro febre, quae morbum eundem,
catarrhalis sub *febris* denominatione, comita-
tur, diversa, vel et prorsus absente, aliam
aliaque hic ipse naturam assumit: nunc
simplex, nunc alio cum vitio, *venereo*, *scro-
phuloso*, etc. *conjunctus*, — nunc sine to-
tius labore, *localis*, — nunc vero, vel *pri-
marius*, cum febre, plerumque *inflammatoria*,
gastrica interdum, ac, sub corporum, ob
humidiorem atmosphaeram, vel ob vivendi
rationem, laxiorem, debiliorem, ac magis
sensilem habitum, — vel, difficiliori sub re-
rum decursu, non sine contagii, apud *equos*,
in *coryza virulenta*, licet aliter Vir eximius
contenderit, manifesti, *epidemiae* imperio, vi-
gentis, suspicione, *nervosa*, et in homine
cum *exanthemate*, in primis *miliari*, lubenter

incendens; — vel *secundarius*, ab acri morbilloso, varioloso, venereo, aut stimulo, alium per morbum excitato, *symptomatice* inductus. Non paucos habituali catarrho vexari, ac plures ex istis, ubi pulmo debilior, sensibilior, hoc ad vitium juniores disponat, ulcerosam ad phthisin properare videmus. Alii, crescente mucosae materiae in bronchiis secretionē morbosa, magnam quotidie pituitae puriformis copiam cum tussi rejiciunt, et ex tam longa nutrientis principii jactura, quin ulcus pulmonum, ut causa, subsit, *pituitosam* in tabem labuntur. Aetatem senilem, sub habitu corporis laxiori, catarrhi pulmonum frequentes, ac vix non perpetui, seu *chronici*, sine tanto discrimine, divexant. Nec *periodice* incidentis, plerumque *symptomatici*, exemplis destituimur catarrhi. Varius autem est muci, quem partes catarrho affectae excernunt, color; consistentia, natura et copia sunt variae: quae singula, ex tradenda nunc generum historia, adamussim, patebunt.

Coryza.

§. 508. Narium catarrhus, *coryza*, *graveudo*, vocatur (§. 506.): quae, pro magna specūs nasalis extensione, nunc istius modo partem, nunc omnem superficiem prehendit,

ac diversa, nunc levia, nunc vero sat gravia symptomata inducit. *Gravedinem*, ut schoiae quondam jussérunt, a *coryza*, quod in illa, tenax pituita, sub dolore, ut vocant, *gravativo*, — in hac vero, serosa, tenuis, aerisve materies effluere dicatur, cum modo gradu et tempore hae differant, distingui nil interest; sed juvat, singula, quae simpliciori hoc morbo, quasi sub oculis aguntur, non contemni, sed ut fidelem eorum, quae in trachea, et in bronchiis, graviora in aliis, contingunt, imaginem attente contemplari.

Sub *narium* ipsarum *catarrho*, siccitatis *c. narium*.
ingratae, plenitudinis, tensionis sensatio, aquae oculis subturbidis, languidis, rubellis, suffusae, vox obtusa, nasalis, ut vocant, odorum, et adeo suporis, perceptio imminuta, cum cutis universae ad frigus sensibilitate majori, aurium sussurrus, emungendi continua necessitas, sternutatio frequens ac molesta, praecedunt. Haec sequitur indecora liquidi serosi, calentis, subsalsi, lacrymae non absimilis, et acris, copiosissima interdum, distillatio: qua *narium* pars ima, per labrum, rubescit, et ardet. Interea mucosa illarum, ac ductuum, saccorumque lacrymalium interna membrana turget, et aeri non minus ad

nares ingressum, quam lacrymarum ad illas descensum praecludit. Hinc istas, ad oculum morari, vel calentes, per genas devolvi, ac spiritum, cum edimus, dormimus, nisi ore aperto, quod teneris infantibus, his neandum assuetis, permolestum est, somnumque arret, difficulter hauriri oportet. Accedunt capitis obnubilatio, gravitas, aut dolor frontis sat molestus, horripilationis, caloris vagi, ad noctem crescentis, sensatio, ac ipsa demum febris, ac phlogosis per nares extensa, graviori sub affectu, non deunt indicia. Per plures haec dies, non aequali tamen semper vigore, — interdum per multas, continuant, dolorque obtusus, internus, per velum palatinum, posterius, ad fauces expanditur: quo loco, mucus ab aere inspirato, sub somno, in lemas aut crustas exsiccatus, irritationem adauget, ac levem simul, deglutitionis sub opere, dolorem inducit. Tandem, nunc citius, nunc tardius, loco seri pellucidi, liquidum paulo crassius, mucosum, ac sensim sensimque, cum facilitate majori, glutinosa, vel alba, vel flava, interdum subviridis, vel striis ex sanguine remistis, sat foetidi subinde odoris, pituita, copiose, ac plures per dies, emungitur, ac pristina odo-

vis, saporis, spiritusque integritas, non sine magnae levitatis ac promptioris ingemii sensatione, restituitur.

Vel eodem, quo nares a catarrho tenentur, tempore, vel hac parte vix adeo affecta, similia *sphoenoidales*, ac *frontales* ad *sinus*, ad *antrum maxillare*, vel uno, vel utroque ex latere, contingunt. Sed præcipuam attentionem sibi cava in ossibus frontis, et maxillæ superioris exsculpta merentur: quae coeteris capacitate majora, causisque laedenibus magis exposita, non raro difficiles, obscurosque catarrhos patiuntur.

Nunc etenim tensionis, plenitudinis, caloris interni, et vel obtusi, vel satis acuti, lancinantis, profundi tamen, doloris, a nasi radice, per unius, vel utriusque superciliï regionem extensi, sensatio, cum hemicrania, cephalalgia, oculorum lacrymatione, rubore, de *sinus frontalis* catarrho testatur.

Nunc ad maxillam supernam, loco dentibus oculoque intermedio, haec dieta, et communia catarrhis, signa premunt, nasique cavum vicinum siccescit, aut emunctionis sub opere, cum doloris incremento, nil mucii excernit; aut gena pallide hic tumet, caslet, aut rubore suffusa est; vel dentes, in-

*C. sinus
front.*

*C. antri
maxill.*

primis sub attactu, manducatione ciborum; affecto in latere obtuse dolere videntur; gingivae calent, rubentque, nec palati ad fornicem ubique pressionis desunt, aut penderis, tensionis molestae symptomata. His vero amplioribus in cavis, a phlogosi, aut et violenta inflammatione, occupatis, non minus, ac ad alia (§. 126.), *hydrops acutus* hinc inde nascuntur; ac serum copiosum, nunc purum, nunc puriformi liquore inquinatum, colligitur: quod, vel remoto ad ostia, cum narium cavitate communicantia, obstacle, vel sub capitibus in partem aegrotanti adversam decubitu, interdum copiose, cum impetu prorumpit; aut; propria vesicula, seu cystide inclusum, abunde distillat.

Sed, quod jam de narium ipsarum catarrho, in optatam resolutionem abeunte, monimus, elapsis aliquot, aut pluribus, a primo hujus morbi insultu, diebus, tenuis loco seri, aut siccitatis molestae, pituita viscida, glutinosa, nunc alba, flava, subviridis, nunc puriformis, ac striis sanguineis notata, interdum sat foetida, interdum, ut vidimus, densissima, fere cerea, vel, capite ad anteriora reclinato, ex *sinu frontali*, — vel illo lateri sanum converso, ex *sinu maxillari* affe-

eto, emungitur copiosa, et morbus dissipatur in integrum.

§. 509. Non vero tam felix erit morbi has ad partes haerentis, et vel inflammatione violenta stipati, vel ab acri virulento, vel quocunque a stimulo, qui auferri sat cito non possit, inducti, exitus. Non rarum est scilicet, a causis catarrhi, aliisque non paucis (§ 513.), tum ipsas ad nares, tum ad sinus, praecipue *frontales*, vel et *antra maxillaria*, *abscessus*, nunc satis manifestos, nunc maxime obscuros, clandestinos, generari: qui, praeter communia internae suppurationis phoenomena (§§. 126. 128.), odoratūs majorem, minoremque laesionem, spongiosas ac tenues hujus osseae compagis lamellas vel comprimunt, vel situ naturali expellunt, vel maxime distendunt, extenuant, ac plurima, chirurgis non ignota, incommoda parturiunt. In *ulcus* sordidum ad nares, vel dictas ad partes, mutato abscessu, *ozaena* subsequitur: nunc *simplex* atque satis *benigna*, nunc vero, ob cariem ad partes vicinas extensam, ob foetorem insignem, vel ipsis aegrotis non minus, ac aliis, intolerabilis, ob causae virulentae, specificae actionem, ob fistulas, ex-

*Abieessus
ozaena.*

crescentias fungosas , polyposas , steatomato-
sas , scirrhosas , cancrosas , complicata , vel
summopere maligna , vel curatu difficillima .

*Ab ioz sin.
front.*

Ad *sinum* scilicet *frontalem* , vel unum ,
vel alterum , *abscessus* , *ozaena* , — sub dolo-
re in aliis , obtuso , in aliis , pulsante , acutis-
simo , — sub febre , in his , magna , in illis ,
pauca , vel nulla , — nisi acerrimo ichori
exitus ad nares paretur , ossis , in quo hic
stagnat , substantiam , exeso periostio , emol-
liunt , distendunt , erodunt ; ac , vel ablato ,
quod sinus frontales bipartit , sepimento , in
iacum communem hos efformant ; vel , lamis-
nâ *sinus interna* ad *cerebrum* protrusa , sopor-
arem , stuporem , ac , rupto repagulo , mortem
aegroto apoplecticam inducunt ; vel carie
supericrem in palpebram patente , hanc ipsam
sanie rodente suffundunt ; vel demum aliam ,
per orbitam erosam viam , sibi pandunt ; ac
unum subinde cum naribus , et antro maxil-
lari cavum constituunt . Nares in totum , cum
ossibus palati , velo pendulo , ab *ozoena ve-
nerea* exesas , atque ut *unam* cum antris ma-
xillaribus specum , aspectu horrendam , forma-
rent , consumtas , in Viro , tandem a phthisi
pulmonum perempto , et a nobis *Bruchsaliae*
dissecto , conspeximus . Similes tumorem hoc

in sinu luxuriantem, spongiosum, scirrhosum, tam a pressione, quam a maligna, cancrosa suppuratione, calamitates exspectant.

Nec multum ab istis distant, quas *antri maxillaris ozaena*, excrescentiae fungosae, cancrose, exostoses, inducunt, miseriae. Non quidem simplex puriformis, vel et foetidi liquoris, hoc ex sinu defluxus, latentem in antro *suppurationem* sat valide confirmat; ast vero, cum inflammationis hac in specu diutius vigentis exposita jam phoenomena præiverint; — cum puris jam facti signa (§. 128.) sequantur, ac doloris pulsantis, lanuginantis, sub decubitu in partem affectam, et sub emunctione aucti, sensus succedat; — si gena rubeat, tumeatque, aut maxillæ, vel exterius, vel palati ad fornicem, prominentiam sub digitis cedentem, fragoris non ubique expertem, exhibeat; — si, capite in partem sanam converso, ichor brunei aut atri coloris, foetidusque distillet; — maxime vero si fistula vel caries ad malam, vel ad orbitam, gingivam, alveolos, palatum existat, ac si dentes hoc loco vacillent, longiores videantur, aut cariem ostendant; tunc de latente hoc in antro ulcere carioso, vel ozaena, aut saltem de fungosa, hic loci la-

xuriante, excrescentia, vix dubium relinquitur.

§. 510. Non raro faucium, laryngis membrana mucosa eodein, quo narium illa (§. 508.), modo afficitur; atque *cynanchen* illinc *catarrhalem* (§. 172.), hic vero *branchium*, ut diximus, — interdum utrumque simul vi-
Raucedo. tium, constituit. Saepe fauces titillatione in-
 grata correptae, ad noctem inprimis, sicce-
 scunt et ardent; subsequitur vox aspera, ob-
 scura, imminuta, vel *raucedo*; nec cibi tam
 facile per pharyngem, nec aer tam expedite
 per laryngem, iter absolvunt; sed tussis sic-
 ca, vel saltem screatio materiae aquosae, sal-
 sae, levis horripilatio, vagusque calor, sitis,
 lassitudo, inappetentia, hominem, vix lectulo
 adstrictum, tenent. Post aliquot dies, pree-
 via subinde nausea, horis matutinis, ejicitur
 mucus sensim sensimque copiosior, crassior,
 tenax, albescens, nec tamen e pectore, sed
 solis e faucibus, larynge, eductus: vox re-
 dit sonora, expectorationis imminuitur ne-
 cessitas, ac pristina spirandi, deglutiendi fa-
 cilitas restituitur. Sunt, qui, praecipue ex
 senibus, quotidie praemagnam a somno pi-
 tuitae ex faucibus copiam eructent, atque

chronico pharyngis catarrho, sine magna molestia, in perpetuum, aut tempore hyberno, humidoque praesertim, laborent. Sunt alii, quibus, sine tanto muci apparatu, vox plurimum raucescat, aut etiam deleatur in totum. Multiplex hujus mali, non raro pertinacis, ac interdum periodici, natura est. Ipsum quidem vocis, cuius instrumentum larynx est, abolitionem, aphoniam, — loquelae vero, quae oris perficitur organo, jacturam, alaliam dixerunt. Utrumque mali genus, nunc ex causa ad ipsa vocis, loquelae instrumenta residente, primarium, oritur; nunc morbi alterius symptoma secundarium, constituit, atque non raro ex viscerum cum larynge consensu, prout alibi docuimus, ac loco opportuno uberius referemus, descendit. Quae branchi acuti, facileque lethalis referuntur, — ea vel ad *cynanchen laryngeam* (§. 173.), vel ad convulsivos hujus fistulae affectus, reducenda sunt, exempla.

Aphonia.

Alalia.

§. 511. Non aliena ab istis (§§. 509. 510.) in *trachea*, et in *bronchiis* contingunt: quae, cum *tussim*, ut princeps symptoma, induant; ab hac ipsa, non satis aptam, ac morbis aliis, indole quamplurimum diversis,

Tracheal.
bronchial.

non minus concessam, denominationem haberunt. Qui vero catarrhus haec loca paulo fortius prehendit: is, affinia descriptis (§§. 173. 186. 188.), aut facile in *tracheitidem*, *peripneumoniam*, tum *veram*, tum *notham*, abitura, symptomata excitare consuevit. Nunc etenim *febris* manifesta *catarrhum tracheae*, *bronchiorum*, comitatur: quae ipsa indolem frequentius *inflammatoriam*, — hinc inde vel *gastricam*, vel et *nervosam*, ab annua constitutione, aegroti habitu, vel causae progressae ratione, assumit; nunc *febris nulla*, aut certe pauca, hoc, locale quasi, vitium distinguit; ac mitiora sunt *catarrhi trachealis*, *pulmonalis* phoenomena. Non rarum est, *coryzae*, raucedinis symptomata cum istis conjungi; sed in multis modo aspera arteria, aut bronchia affecta sunt: ut in quibus, sub eadem licet membranae mucosae, quam ad nares aut fauces aegrotantes, conditione, diversa tamen symptomata succedunt. Praeter communes scilicet catarrhis *vespertinos*, levisque horrores, calores fugaces, dolores tum dorsi, tum artuum tensivos, pungentes, lassitudinem, quae sub noctis ingressu, cum febre, si haec simul adfuerit, augmentur, tempore matutino remittunt, — siccitatis, titilla-

tionis ingratae, ardoris, vel tracheae ad tractum, vel in pectoris profundo, sensatio, spiratio plus minus difficilis, ac tussis continua, ab initio maxime, ob siccitatem, molesta in primis a loquela, forteque ac profunda inspiratione mox augenda, insurgunt. Si quid primis hujus morbi diebus ex trachea expellitur: aquosum, salsum spumosumque humorem hoc offert, sub impetu tussis majori, striis hinc inde cruentis remistum. Tam vehementer interdum haec tussis urget, ut vomitus vel in illis, quibus alia coeteroquin ad hunc causa non est, nunc simplex aquosus, nunc bile, alimentis remistus, frequenter moveatur; in gravidis, non raro abortus, in aliis prolapsus vaginae, aut herniae, vertigines apoplecticae, lacrymationes involuntariae, haemorrhagiae per nares, pulmones; hos motus thoracis feroce, convulsivos, ac vix non suffocantes, sequuntur. Post aliquot, nec certos tamen numero, dies, matutinas in primis ad horas, jam spissior quodammodo, sed pauca adhucdum, materia, sub tussi minus violenta, facilius educitur. Quod si rectam vivendi rationem observet aegrotus; res in dies in melius convertitur; ac sputa gradatim copiosioria, tenaciora, albescientia,

cum magno pectoris emolumento plures per dies, donec iterum decrescant, facilime sedentur; transpiratio aequalis, vaporosa matutinas ad horas subintrat, urinae sedimentum lateritium deponunt, ac pristina valetudo restituitur. Neglectis vero morbi initii, vel catarrho stimulantibus, ac methodo calefaciente tractato, vel demum frigore incaute, ad pulmones in primis, admisso, difficultas spirandi, tussis violentia, pectoris ardor internus, ac febris augentur; nec raro, sub fallacissimo catarrhi innocentis aspectu, in plenam discriminem peripneumoniam aegritudo convertitur; ac saepe nimis pulmonis suppuration, ac phthisis ulcerosa, in primis apud illos, qui hunc in morbum inclinant, aut prævia in pulmonibus tubercula tulerunt, succedunt.

C. epidem.
influenza.

§. 512. Tum vere, autumno, catarrhi, inter infantes, pueros, senes, laxaeque structurae homines, ob tempestatis vicissitudines, quam maxime regnant; sed nullo non tempore, ac in primis sub atmosphaerae ex calida in frigidam humidamque transitu subitaneo, populares redduntur. Interim, quin tam evidens ubique in ambiente nos aere muta.

tio praecesserit, interdum catarrhi febriles per provincias divagantur; ex una in alteram serpendo, per integrum vix non orbem, passu lento vel celeri, sed ad certam itineris morbosi directionem suscepto, non sine magna latentis contagii suspicione, feruntur; ac omnes fere incolas, sine habito aetatis, sexus, conditionis, vitae generis discrimine, infestant. Symptomata *epidemici* hujus catarrhi, cum descriptis in genere convenient; ac simul omnem membranam mucosam, qua late partes respirationi apertas investit, plus minus affectam testantur; sed celerior, vehementior est febris, ac interdum ipsius catarrhi, decursus, — evidentior per crises cutaneas solutio est. Confestim, ac die vix non eodem, fere omnes habitantes invadunt torpor, artuum, dorsi lassitudo, debilitas universalis, vertiginosa capitis obnubilatio, horripilatio vaga, mox horror, plerumque sat validus, calor vehemens, insomnia, in quibusdam deliria; cephalaea, in multis nausea, amaror oris, vomitatio, vomitus, sitis vel ingens, vel pauca, coryza, vehemens sternutatio, lacrymatio, ac rubor oculorum, rauicitas dolorque faucium, tussis sicca, in quibusdam sputa sanguini commista, cum pe-

ctoris oppressione , dolore hinc inde quasi pleuritico , pulsus frequens , in aliis mollis , ac parvus , in aliis magnus et durus ; sanguis eductus , nunc corio obtectus , nunc eodem privatus ; urina sub initio fere cruda , aquosa . Quibus sudor copiosus vel sponte , post primam mox diem , prorumpit : hi facile a morbo liberanrur ; in aliis , remittentibus matutinas ad horas symptomatis , ad noctem similia ac pridie contingunt , ac saepe tertia , quarta , quintave die , post vehementem horrorem , calorem ardente , deliria , sudor copiosus , odoris acid , viscosus excutitur ; aut ad labra pustulae efflorescunt ; urinae sedimentum lateritium deponunt , ac febris profligatur vix non omnis . Non sic tussis in omnibus cum febre sedatur ; sed in pluribus per multas adhuc dies continuat , ac sputa tenacia , glutinosa copiose secedunt . Haec interim non in singulis eodem se modo manifestant ; sed levior , ac prorsus sine febre , in istis , — gravior in illis , aegritudo occurrit ; nec non pro varia vivendi , meden-dique ratione , nunc paucis a diebus haec dispellitur ; nunc plures per hebdomadas , neglecta , decurrit . Pro tanta vero symptomatum gravitate , modo pauca morbi lethae-

litas, sub ipso quidem epidemiae decursu, appetet; sed plures post menses sat multi, ut vidimus, pulmone suppurati perierunt; et qui vitio pulmonis, vel alio, jam pridem laboraverant, hi utique majora discrimina subibant. Abortus non pauci, sub tam communi affectione, in civitatibus contingunt.

Inflammatoriam plerumque *catarrhus epidemicus*, ac benignam, ut vocant, naturam observat; sed febris nervosae cum eodem non minus, quam cum catarrho quovis sporadicō, aut alio, conjunctae; exempla non desunt; et magna interdum huic morbo cum *cynanche maligna, ulcerosa* (§§. 175. 296.), aut cum *peripneumonia nervosa* (§. 190.), est affinitas.

Sub eadem catarriali, epidemica aegritudine subinde dolor et ardor ventriculi, intestinorum, cum ventris fluxu, tenesmo, in quibusdam insurgit: et causae ejusdem in viscera magis abdominis, quam pectoris, actionem ostendit.

§. 513. Ad *chronicum catarrhum* retulimus affectum, quo, sub muci copiosi in bronchiis secretionē, ac sub materiae puriformis screatura, in longum protractis, debilitas, febricu-

tabes pul.
pictus

la, macies, ac phthiseos pulmonalis quamplurima, quin ulcus pulmonem devastet, symptomata sequuntur (§. 506.). Bronchiorum hic status, vix ab illo vaginae, apud mulieres fluore albo laborantes, vel urethrae a chronica blennorrhoea affectae, differt; sed ob majorem illorum superficiem, ob muci morbose hic secreti abundantiam, ob visceris nobilitatem, tristiores effectus inducit. Hoc scilicet viscus, omnis, qui toto ex corpore reddit, crux, — et, qui vix huic admistus fuit, chylus, allidit. Non mirum hinc videbitur, si pars major principii nutrientis, ut in ipso diabete per renes, sub muci albescens, subdulcis aspectu, per amplissimam bronchiorum superficiem, aut nimis laxam, aut simul stimulo morboso ad exuberantem secretionem coactam, aufugiat; et sub tussi continua, sub multiplici sputorum conditione, tabes, cui debilitas conspicua, febris lenta, sudor nocturnus, dispnoea, oedema pedum, ut symptomata et phthisi pulmonali ex ulcere productae communia, accedant, nascatur. Hinc plures, qui ex ulcere pulmonum contabuisse, et mortem traxisse videbantur, aperto cadavere, nec minimum illius vestigium obtulere, nec sputa, quae purulenta in viventibus fuisse quivis ju-

rasset, aliam, quam perversae secretionis, communem cum muco in coryza, in fluore albo, in blennorrhœa secreto, originem habuere. Nec desunt illorum, qui hoc in morbo ex pulmone integro, aut certe ulceribus haud quaquam obsesso, sanguinem rejacent, ac fixum in aliquo thoracis loco ardorem, dolorem accusaverint, exempla: ex quibus singulis, quam incertae sint phthiseos pulmonalis feliciter sanatae historiae, et quam fidem remedia ad ulcus pulmonum consolidandum laudata, mereantur, elucet. Difficilis hinc morbi utriusque diagnosis, eoque certe difficilior dicenda est: quod, *puris*, a *muco* ubique distinguendi adhucdum nos lateat peritia; quod sub tabis pituitosae provectioris gradu, quod hanc non induxit, *ulcus accedere*, ac phthisis vera pulmonum adjungi queat. Si quis interim ad phthiseos pulmonalis ulcerosae, quae alibi exponemus, signa attentius respexerit; si longum morbi catarrhalis, sine febre mox conjuncta, in homine vix ad phthisin praedisposito, sed laxae constitutionis, ac aliis forsitan mucosis fluxibus, primarumque viarum incommodis, non ita raro subjecto, decursum consideraverit; si febrim non prius, ac major jam

debilitas secuta fuerit, diurno catarrho accessisse conspexerit; si materiae per tussin rejectae color, pelluciditas, tenacitas, rotunditas, levitas, quantitas a primo jam morbi initio conspicua, diversam a pure, quod parvum ulcus largiri jam posset, indolem ostenderit; si major sub inspiratione profunda libertas et immunitas a tussi subfuerint; si sputa interdum, comparente in primis alibi dolore rheumatico, quin febris, dispnoea sequentur, per menses disparuisse, ac tempore pluvioso, frigido, et catarrhis favente rediisse sint visa; si methodus corroborans ac grotanti conduxerit; tunc morbum non ex ulceru pulmonis, sed ex perversa in bronchiorum membrana mucosa secretione venire, spes magna affulget.

Cath. chr.

Qui *chronico catarrho* sine tanta pituitae profusione, plerumque senes laxique homines, laborant: hi aut febre immunes, aut modo per vices et post atmosphaerae mutationes manifestas ab eadem correpti, nec maciem conspicuam, nec virium decrementum, ut in tabe pituitosa pulmonum, ostendunt; tenacem, in filos ductilem, ac fuso quasi *vitro* consimilem pituitam cum tussi, praeeunte sat miti dispnoea, matutinas ad

horas expectorant; hoc facto, liberius respirant, ac plures per dies, interdum per menses, in primis hibernos, similia patiuntur; sub coelo sereno calidoque, valetudinem recuperant, ac saepe aetatem proiectam, sine aliis incommodis, attingunt. Nec semper pulmo, sed pharynx interdum, aut aspera cum laringe arteria, catarrhi hujus chronicus sedem constituunt: ac primo in casu, screatu pituitae copiosae matutino, — in altero, tussi, sub dispnoea moderata, sat facilis, ac sputis globosis ac viscidis, interdum erysipelate, aut herpete, quo pridem laboraverant, ad cutem redeunte, sine mora liberantur. Non rarum est interim, homines a chronicis catarrho vexatos, ac flaccidis pulmonibus instructos, fortiori sub accessu, *peripneumoniae*, quam *notham* vocavimus (§. 188.), pericula incurrere; ac ob muci non minus visciditatem, quam copia pulmones obruentem, et pituitae tenacis expectorandae impotentiam, a catarthro, quem *suffocatorium*, ex effectu, denominant, brevi temporis spatio, strangulatorum ad instar, perire.

§. 514. Causae catarrhi tum generales, tum speciales recensendae nunc veniunt. Causae.

Quaecunque scilicet membranam, quae vias respirationi dicatas obducit, pituitariam, stimulo, ad majorem fortemque inflammationem non protinus sufficiente, afficiunt; affluxum sanguinis haec ad loca adaugent, secretionem immutant, pervertunt: ea producendi catarrhi vim possident. Frequentissima ex istis, est materiae, quae per cutem expellenda fuisse, per frigus repentine admissum, retentio. Haec si ad partes musculosas, periostium, ligamenta, vel ad viscera feratur, *rheuma*, — ad mollem, qua mucus, nares, fauces, tracheam, bronchia obliniens secernitur, membranam delata, *catarrhos* producit. Qua ratione id faciat? id satis obscurum est; et quod magis difficultatem adauget, est: quod rarius ex corporis *totius*, quam ex *partis* solitariae, refrigerio catarrhus oriatur. Mephitis, quam pulmo, — hanc certe cutis non spirat; sed aliud, incognitum principium, quod excerni impeditum, quoque feratur, irritationem inducat, pro parte irritata diversam, transpirationis materiae inesse, communissimi effectus testantur. Forsitan quae ad omnem corporis superficiem simul retinetur: ea, ob copiam, per alia mox organa, per renes potissimum, nec raro per tubum int.

stinalem, promptius, ac pauca, quam partis unius refrigerium cohibuit, eliminatur materia. Nec mirum est, si destinata per cutem externalm difflari, — sed ab eadem repulsa, internae transpirationis affinia, laxiora, ac simul sensibilissima ad organa facilius, quam alias ad partes, ferantur principia; — vel, si illa ipsa, frigidioris ab aurae attactu occlusa, irritata, quam exhalare debuissent, sinu proprio stimulantem retineant soveantque materiam: qua scilicet causa, aducto humorum affluxu, exhalantium vasorum manifestius stillicidium, folliculorum mucosorum infarctus, phlogosis, mutata secretio, plenitudinis, ardoris sensus, ac singula catarchi, seu inflammationis superficialis et quasi erysipelaceae, symptomata, sine culpa praevii in humoribus vitii, sibi mutuo succedunt. Si mitior est phlogosis: tunc, febri excitandae impar, localem modo, brevique temporis spatio absolvendam affectionem producit; si fortior est stimulus, aut major sensibilitas, vel praevia totius, aut partis, longo sermone, clamore aestuantis, ad phlogosin dispositio: tunc membranae mucosae phlegmonosa inflammatio, cum symptomatis, et

exitu , pro partis affectae varietate , diversis ; acceditur .

Sub hac igitur materiae transpirabilis res tentae , nec alias per vias sat prompte excretiae noxa , quaecunque aut majorem , ac par est , humorum ad cutem affluxum excitant ; — aut morbosam hujus organi sensibilitatem inducunt ; — quaecunque membranam narium , faucium , tracheae , bronchiorum mucosam ad suscipiendam , retinendam stimulantem materiam praeparant : ea partes praedictas ad catarrhos quam maxime disponunt . Hinc immodicus hypocausti calor , ac succedens huic frigus atmosphaerae repentinum , — hinc partis corporis unius p[re] altera , vel camini ad ignem , vel solis ad radios , vel fotu vestium nimis sollicito , vel continuato exercitio inducta calefactio , ac subsequens illius ab aura frigidiori perflatus , — hinc vestium hibernarum ad inconstantes veris temores praecox depositio , aut aestivi , levioris amictus protractus in serum autumnum usus , — hinc anxia , nec tamen ubique possibilis , aurae liberioris fuga , ac certa quasi hominum literatorum , efforminatorum *aerophobia* , balneorum calidorum , sudoriferorum , eorum que ,

que, quibus cutis robur infringitur, sensibilitas augetur, abusus, — hinc frequens catarrhalis affectionis ad partem eandem redditus, ac inducta hic loci, cum sensibilitate morbosa, laxitas, — hinc forsitan congenita instrumentorum respirationi dicatorum imbecillitas, ad provocandos catarrhos praecipue disponit.

Sed et alia existere videntur, quae, vel per aerem inspiratum, sub quoconque caloris gradu, admota, vel ab eodem ex pulmonibus non satis eliminata, membranam pituitosam non aliter, ac transpirationis retropresae materia, afficiant. Vapore sulphuris, arsenici, licet paucō, per atmosphaeram diffuso, vel sumo, aut re quavis subtili, irritante per aerem dispersis, ac pulmonibus incaute susceptis, mox fortis in sensili membra tracheae, bronchiorum, stimulus, et catarrhi breviora, vel longiora symptomata succedunt. Saepe, sub aere nebuloso, quin hic frigore notabili offendat, catarrhi, vix non omnes, vel ob latentem in hoc, subfoetido interdum, atmosphaerae lixivio irritantem materiam, vel quod illud ipsum, ab aqua jam nimis saturatum, exhalatos pulmonibus vapores minus prompte suscipiat, vel

quod humidum copiosius cum aere inspiratum, membranam bronchiorum mucosam continuo relaxet, prehendunt. An specificum, quod catarrhos apud homines subinde inducat, *contagium* existat? dubitare liceret; sed illius, quod morbillos, variolas, scarlatinam evolvit, manifesta in membranam narum, faucium, bronchiorum mucosam actio, ac celerrima catarrhorum, sub diversa atmosphaerae conditione per familias eodem sub tecto habitantes expansio, nec non ozoenae virulentae inter equos contagiosa natura, verisimile hoc reddunt.

Nec rarum est, ab acri, quo cunque a partibus externis, internis, respirationis ad vias conjecto, catarrhales affectus oriri, ac frequentia ex ulcere, impetigine quacunque antiquis, blennorrhoea, sudore pedum, axillarum incaute tractatis, a rheumate, erysipelite, metastasi has ad partes aliunde conversionis, catarrhorum exempla habentur.

Ex ipso adeo *consensu*, abdominali in primis, non modo tusses, sed ipsos catarrhos oriri, experientia confirmat. Nec certe, cum et oculos (§. 152.), et fauces (§. 171.), et ipsos pulmones (§. 189.), hac a causa non raro incendi sciamus; cum tantam pi-

tuitae sub tussi ferina , cuius saepe in abdo-
mine origo est, copiam in pectore secerni
videamus; mirabimur, sensilissimam bron-
chiorum superficiem internam a nervis ven-
triculi, intestinorum, per bilem acriorem,
saburras corruptas, aut per vermes, continuo
irritatis, similia experiri, aut longas vanas-
que per tusses ad phlogosin ac morbosas se-
cretiones incitari. Hinc ratio summae inter-
dum virtutis emeticorum, purgantium in ca-
tarrhis, praeprimis epidemicis, cum gastrica
febre manifeste conjunctis, atque adeo spon-
taneae, qua non pauci catarrhi solvuntur,
diarrhoeae, elucet; quin igitur, cum summo
aegrotantium damno, mox quamvis aut oris
amaritiem, aut linguae spurcitiem, aut nau-
seam, vomititionem, vel ipsum adeo vo-
mitum, utpote prorsus in multis symptomati-
ca, pro sufficienti emeticorum indicatione
habeamus (§§. 186. 189.). Enarratae vix
causae in membranam mucosam, nunc, qua
late per has vias expanditur, omnem, nunc
modo in partem illius, operantur.

Coryza tamen (§. 507.), capit is ipsius,
pedumque, apud teneros infantes frequentis.
sima, refrigeratio potissimum inducit. Faci-
lius haec in illis, qui nimis caput integu-

C. special.

Coryzae.

mentis fovent, succedit. Non raro acria quae-
cunque ad nares, utpote declive, semperque
pervium stimulis externis muci colatorium,
feruntur. Ab acri arthritico ad nervos na-
rium ac linguae deposito, et gustus, et odo-
ratus in viro jacturam, ut nec salis ammo-
niaci volatilis penetrantissimum odorem di-
stingueret, sed modo aliquem ab illo stimu-
lum accusaret, observavimus. Singularis pla-
ne *virus venerei* in membranam faucium na-
riumque mucosam est nisus, et frequens ab-
hinc *ozoenae*, his partibus facile funestae,
occasio. *Morbillosum* praecipue coryza praec-
edit, comitatur contagium; atque ipsae *va-
riolae* interdum hoc signo incedunt; vel ipsas
abscessuli nares infestant, exulcerant, vel
prosersus, ut vidimus, oblitterant. *Scarlatinæ*
malignæ furores in fauces, cava narium,
jam alibi (§. 296.) adduximus. Nec vobis
leprosi virūs, in nares praecipue ruentis, tri-
stissimi effectus (§. 455.) ignoti sunt. *Ery-
sipelas* (§. 281.), et ipsa *tinea faciei* (§.
447.) non raro internam narium membra-
nam infestant; ac sicut nares infantibus neo-
natis copiosius stillant: ita *dentitionis* inpri-
mis sub opere coryza symptomatica huic ae-
tati familiaris, et abundans seri mucique na-

salis secretio est. Non raro dentes , alveoli maxillae superioris cariosi , istius ad antrum phlogosin , secretiones morbosas , et ulceræ inducunt . Ictus , violentia quævis ad nares , ad sinus maxillares , frontales , — vel et insecta his in cavis recepta , evoluta , similes in aliis effectus agnoscant . Vel ipse *nicotianæ tabaci* pulvis , qui saepe rebus non parum suspectis et acribus commixtus , ad nares ducitur , istarum superficiem interdum aggreditur , exulcerat , ac sensum odoris non parum in multis obtundit , aut prorsus abolet . Nec minus *polypus* , excrescentia fungosa tum narium ipsarum , tum sinuum maxillarium , frontalium , irritando , comprimendo , *coryzae* symptomata inducunt , vel forsitan violenter extracta , ad ulceræ vel cariem narium contribuunt . Chronicus , a *calcule* ad nasi cavum haerente catarrhus describitur ; in aliis juncta cum laxitate membranae mucosae sensibilitas major , aut angustior narium conformatio , ad *coryzas* habituales disponere videntur .

Praeter generales catarrhi , fauces , laryngem , aut asperam arteriam occupantis , causas , aliae commemorandæ hic veniunt . Ipsi quidem *reducedinis* , seu *branchi* (§. 509.) , difficillimæ saepe curationis morbi , causa

Branchi

est multiplex: ac illius non minus, quam *aphoniae*, frequens longinquis in partibus, in pulmonibus, ipso in utero, ac in primis in abdomen, origo est. Insigne in vocis organo nervi, *recurrentes* potissimum, imperium excent. A scarabaeo vivo, ab infante deglutito, mox raucitas observata est. *Aphoniae* a vermis inductae exempla tum aliis, tum nobis ipsis oblata sunt; atque alibi (§. 217.) eandem *peritonitidis puerperalis* non insolitum phoenomenon sistere, retulimus. Ab injectione adstringente, post abdominis paracenthesin, ventris in cavum instituta, — ab inflammatione pericardii, quo loco plures, ex *recurrentibus*, ramulos nervosos accipit, aphoniā, dysphagiā, et mira vocis, nunc in acutissimam, nunc in profundam, mutatae, phoenomena alii notarunt. A nervo *recurrente*, aut lateris unius, aut utriusque, sub experimento in animalibus capto, — vel in homine, sub bronchocelis operatione, vel sub vulnere juguli, discesso, aut raucitas insanabilis, aut perfecta vocis extinctio, insequitur. Vix morbus est gravior, qui vocem aegrotantis non valide afficiat; ac ipsa quantum pubertas ac prima *seminis* secretio apud

pueros vocis organon immutet, est nemo,
qui ignoret.

Sed cum toties, longinquas ad causas,
vocis aliter aliterque instrumenta respondeant;
frequentius tamen ad haec ipsa, ad fauces,
laryngem, raucedinis causam haerere, expe-
rientia confirmat. Sunt, quibus per vitam
vox clara, sonora recusetur, et qui perpe-
tuam, sine morbo, loquendo raucedinem
prodant. Potissimum vero istius causam si-
stunt, muci blandioris, laryngem ac fauces
oblinientis defectus, aut major, quam par
est, copia, aut excedens tenacitas, aut a
pulvere in tracheam illapso impuritas; mem-
branae ipsius mucosae laxitas, flacciditas;
istius, ac follicularum, glandularum intume-
scentia, inaequalitas, phlogosis, varicositas;
exanthema, impetigo, erosio vel ulcus ad
epiglottidis, laryngis internam superficiem;
cartilaginum, quae laryngem constituunt, ri-
giditas fere ossea, immobilitas, fissio, fra-
ctura, compressio; depositio materiae rheu-
maticae, arthriticae, calcareae, tophaceae,
metastasis; spasmodica, paralytica, muscu-
lorum laryngis affectio. Coeterum, quae
alios catarrhos inducunt, in primis susceptum,
post cantus, exercitia oratoria, vel longas

vociferationes, ex vento gelido, contrario, ex potu glaciali, corpori aestuanti ingestu, refrigerium, raucedinem excitare valebunt. Qui vini potu vel maxime sunt dediti, vix non perpetua raucedine laborant.

*Cat trach.
bronch.* Ab ipsis vix differunt causae, quae tracheae, bronchiorumque catarrbum, tam acutum (§§. 511. 512.), quam chronicum (§. 513.), progenerant, ac omnis ex loco, in quem illae agunt, est diversitas. Ipsa quidem tussis, quae principalem hic ludere scenam videtur, commune multis, ut ipsi catarrho, affectibus, *symptoma*, non ipse morbus est; totiesque oritur (quod in genere monendum hic ducimus), ac stimulus quicunque aut intimus, aut vicinus, aut dissita ex parte veniens, vel in diaphragma, vel in pulmones ipsorumque vesiculas, vel in bronchia, vel in asperam arteriam, vel in laryngem, harumque partium nervos convertitur. Frequentissima tussis causa est membranae tracheae, bronchiorum internae, sensilissimae, irritatio. Quam acerba non thoracis universi convulsio ex aquae innocentis guttulla, nec oculis quidem molesta, per glottidem delapsa, mox oritur! Atqui cum in pulmonum substantia, vel bronchiorum in cavis, similia contin-

gunt, et a corpore peregrino per tracheam pulmonibus adacto, a calculo hic genito, ab inspiratis longo tempore ac bronchiali cum glutine in unum concretis, diversae iadolis, materiis pulverulentis per atmosphaeram volitantibus, — aut a polypis ex lymphatico coagulo in bronchiis, arteriosi ramosique sub vasis fallaci aspectu, formatis, — a bronchialium glandularium, folliculorum infarctu, a tuberculis, vomica, scirrho, — aut ab aere, aquis, crurore, puriformi, purulenta materia in celluloso pulmonum contextu collectis, — a vasculis istius varicosis, aut quascunque ob causas a sanguine praeter modum extensis, — ab irritante vapore cum aere in pulmones attracto, — a materia sudoris, a metastasi, ab exanthemate, impetagine, vel aeri quocunque ad pulmones conjectis, stimulus admovetur; — cum partes pulmonibus vicinae, pleura, mediastinum, pericardium, cor ipsum, vasa majora, oesophagus, diaphragma, hepar, ventriculus, lieñ, inflammatione, tumore quocunque, aneuvrismatico, steatomatoso, scirrhoso, aut ulceri laborant, cum in cavo thoracis fluidum quodcumque colligitur; aut ipse thorax, morbosa ossium structura difformis, luxatio-

ne, fractura, carie costarum, vulnera, suis in motibus impeditus est; — cum longinqua nervorum, cum illis pulmonum, tracheae, bronchiorum, affinitate junctorum irritatio, prout de *brauchi* origine jam diximus, succedit, — his innumeris in casibus mox tussis, nunc sicca, nunc humida, nunc primaria, nunc secundaria, generatur. In catarrho pulmonum, ea ipsa membranae mucosae, quam descriptsimus, affectio, tussis molestias inducit. Post *chronicos* catarrhos, ac post ipsam, quam *pituitosam* vocavimus, pulmonum tabem, flacciditas hujus visceris conspicua per sectiones pathologicas detecta fuit. Haec *effectus*, non minus, quam *causa* hujus morbi esse potest; nec certe sola laxitas, nisi stimulus localis, quem ulcer antiquum, impetigo praepostere sanata, fluor albus, haemorrhoides, blennorrhoea, sudor pedum, axilarum, etc. incaute suppressa, non raro expeditant, accedat, qui stimulus secretio nem morbosam hic loci tum augeat, tum quodammodo pervertat, sufficere videtur.

Prognosis. §. 515. Ex illis, quae (§§. 507. — 514.) dicta sunt, *prognosis* catarrhi jam satis elucet. *Narium faciliusque catarrhus*, raro, nisi morbi

alterius symptoma constituant, aut major inflammatio, suppuratio, accedant, periculum inducunt. Aliquando tamen, post diuturnam ac molestam *coryzum*, ipsius cerebri affecti symptomata sequuntur; nec ita pridem conspeximus virum, cui, a narium catarrho, per duos fere menses protracto, vehementer, obscuritas visus, aurium susurrus, loquela difficultas, circuli calvariam cingentis sensus, tremor maxillae cum epileptico insultu sat frequente, ac cruris manusque, e latere sinistro, debilitas conspicua, — quin alia istorum causa apparuerit, non sine aquae in cerebri ventriculis collectae metu, successerant. Nata ex causis virulentis ozoena, per difficilis, ac arte saepe major morbus est. Neglectis, aut irritatis a pulvere tabaci, aliisque, narium ulceribus, caro fungosa, nunc mollis, alba, vel rubra, sed expers doloris (sarcoma narium), — nunc livida dolensque, in *cancerum* degenerans, — nunc in longum, ut e naribus, vel anterius, vel in fauces posterius, propendens, extensa, *polyposam* naturam assumens, nascitur. Rauicitas, ut morbus, periculum vix affert; ut signum, non raro exitialis observatur. *Catarrhus bronchiorum*, nisi male tractatus, aut

in illis, qui tuberculis pulmonum, ac certa in phthisin praedispositione laborant, plerumque sine noxa incedit. Periculosior est ille, quem dispnoea, calor, et febris comitantur; ac milleni, qui haec flocci penderunt, inflammatione pulmonum correpti, perierunt; aut, tuberculis hoc in viscere relictis, futuras ad phthises praeparati fuerunt. Catarrhus in longum protractus, licet febris deesse videatur, nihilominus suspectus est, ac transitum pituitosam pulmonum in tabem minatur. Haec ipsa, minora quidem, ac phthisis ulcerosa, discrimina agnoscit; sed facile aut in istam, — aut, sputis derepente suppressis, in spuriam peripneumoniam convertitur.

Cura.

§. 316. Sine medici auxilio quamplurimi a catarrhis, vel, tempore brevissimo, per largos, spontaneos sudores, — vel, longiorrem ac inaequalem post moram, per pituitae densioris, aliquando striis sanguineis remistae, copiosae, ex parte affecta secessum, — vel denique per blandas diarrhoeas sub fine morbi succedentes, liberantur. Hinc in simplici, nec febre, nec dolore fixo, vel dispnoea stipato catarro, res ipsi naturae com-

mitti, ac illis, quae cutaneam transpirationem intercipient, aut stimulum localem adaugeant, sollicite evitatis, tenuiori sub victu, potuque tepido, tempus, quo sponte solvatur catarrhus, exspectari sine artis quovis alio conamine potest. Sunt adeo, qui, loco potus tepidi, diapnoici, ad frigidae, ipsius. que glaciei ad usum in catarrhis, non certe ob aliam, quam quod saepe haec ipsa transpirationem externam promoveant, ac phlogosin localem, incipientem hinc inde dissipellant, cum successu configuerint.

Sed, quotiescumque febris, aut gravius symptomata catarrhum comitatur; habito ad indolem istius, ad morbi causam, ad partem affectam, ad habitum aegroti, et ad anni constitutionem respectu, artis sine mora adhibendae necessitas urget. Rarum est, *coryzam*, tam violentis symptomatis, aut febre conspicua incedere; sed interdum haec utique subintrant; atque inflammationis ad narres, ad sinus frontales, maxillares, signa et abscessus metum futuri manifestant. Hoc in casu, videndum est, quae febris phlogosin localem comitetur? ae si indolem vere *inflammatoriam* agnoscat, ad regulas jam traditas (§§. 46. 62. 71. 95. 112. 120.) — in ca-

su vero febris *nervosae*, ad principia exposita (§§. 94. — 96.), tractanda est . Vapor aquae , vel solius , vel cum aceto remistae , naribus , nisi penitus obstructis , attractus , — hoc vero in casu , ac in illo phlogosis ad fauces extensae , balneum oris ex lacte tepido , malvae decocto , praeter alia , potissimum conducunt . Devicta localis inflammationis formidine , morbus sibi ipsi , prout dimicimus , committendus est . Si forsitan tenacitas pituitae excretioni resistat ; tunc vaporis , aut mannae in aqua solutae , per nares attractio hanc ipsam sollicitat . *Sternutatoria* aliquando hic opem praestiterunt , — sed ob incertam ac facile justo majorem actionem , non satis arrident , medicamina .

Jam facto ad nares internas , vel ad sinus frontales , maxillares , abscessu , hic ipse , ne ossa subjecta corrodat , quam prompte fieri id potest , chirurgiae ad leges , pure contento liberandus , vel materia purulenta , ichorosa sinu frontali , maxillari inclusa , educenda est . Perforatio sinus frontalis mature , et caute suscepta , ratione et experientia fundatur . Pus , in antro maxillari detentum , nunc dente molari , qui hunc ipsum attingat , uno vel altero , in primis carie praesente , extra-

eto, et sectis, quae antrum investiunt, membranis, forsitan adhuc integris, — nunc, vel ad alveorum radicem, vel ipsas ad genas, vel palati ad fornicem, loco scilicet maxillae magis prominente, inciso, educitur. Ossis maxillae cum dentibus tribus a carie affectae portionem sat magnam separari curavimus; quo facto, aegrota liquor ex ore in antrum, et ex isto per narem cum impietu projicere per jocum solebat, et tandem hoc a vitio perfecte convaluit. Sed ostium, quod ex antro ad nasi cavum, in sanis, patet; frequenter a praesente inflammatione obturatur; nec facile, ut aliqui proponunt, injectio ipsas per nares haec in antra apud omnes perficitur. Quo loco sinus maxillaris morbose cum oris cavo communicat; eo, ne ciborum, sub esu, portio penetret, cendum est. Si ulcus cum carie, vel carne fungosa, hoc in secessu nascatur; haec artis chirurgicae auxilio currentur oportet. Quae, ex causis virulentis, ipsis in naribus ozoena se prodit: ea quantocyus internis, virulentiae specificè oppositis impugnanda, et simul externis remediis sollicite tractanda est. Inter ista, mercurii corrosivi diluta solutio, ac

tandem suffimigia, potissimum hic laudem merentur.

Ad *branchium catarrhalem* quod spectat, is eadem, ac cynanche hujus indolis, ratione (§. 178.) percurandus, — ac si forte phlogosis intensior accedat; ut mitior cynanche *laryngea* (§. 179.) tractandus est. Vapores aquosi hic iterum egregie conducunt, et collectam ad laryngem pituitam resolvunt, rejectionem facilitant. Quas olim syrupo de *Erysimo* virtutes in raucedine tribuerunt, — haec non alio, quam coetera, quae fauces lubrefaciunt, obducunt, et ab acri sero quodam modo defendunt, fundamento nituntur. Linimentum volatile cum tinctura cantharidum (N. LXII.), laryngis regioni illitum — aut vesicans emplastrum huic ipsi impositum, in casu latentis rheumaticae, aut alterius acredinis, conveniunt.

In *catarrho bronchiali*, ut in coeteris speciesibus, — sed, ob maiorem pulmonum nobilitatem, scrupulosius, jam traditis generalibus praceptis inhaerendum est. Humanitati non parum exitiosa fuit vulgaris, ac si venesectio in catarrho ubique noceret, opinio. Haec quidem in casu febris catarrhum comitantis

tantis *nervosae*, aut *gastricae*, experientia plerumque fundata est; ac si vires deesse videantur; aut laxitas pulmonum, habitualis causam catarrhi constitutus; subministrata venaesectio catarrhum, dispnecam augere, vel ad pulmonis tubercula aegrotum disponere valebit; sed frequentius, in juniori praesertim floridaque aetate, inflammatoria catarrhi febrilis est indoles; et ommissa cruoris, fortiori sub malo, detractio, aut calefaciens adhibita methodus, aegrotantes in peripneumoniam, haemoptisin, aut et phthisin praecipient. Vix interim tanta hic urget, ac alibi, sanguinis copiosius emittendi necessitas; nec facile *catarrhus*, ut vera pulmonum inflammatio, per solam superatur lanceolam; sed certe, naturae vires, certumque tempus, ut in *narium*, — sic *bronchiorum* in catarrho, requiruntur: sub quibus stagnans in folliculis mucosis pituita, mobilitatem, expelli ut possit, adipisci, vel stimulus a pectore revelli, ac impetus humorum a pulmonibus in cutem derivari, aut forsitan illud ipsum, quod pulmones irritabat, per cutem, sub aequali, blandoque sudore, separari queat.

Quidquid non raro, leviori ac recente sub malo, vel et in ipso *catarrho* epidemico

diaphoresis, pes haustum salinum pulveremque *Doweri*, aut refractas tartari emeticis doses, per potus tepidos ex floribus sambuci et ex malva, vel thapso verbasco, vel hordeo paratos, pronota, — aut vapor aquae per fistulam ad pulmones aliquoties in die attractus, ad bronchiorum catarrhum sufficient! Vel et frigida epota apud alios suffecit, ac sua, per stomachum, pulmonum, aut cutis in nervos actione stimulum a bronchiis abegit, mutavit, ac breviori temporis intervallo, contradicente scholarum theoria, catarrhum dissipavit.

Sed maximas hoc in morbo laudes remediis, quae *bechica*, *pectoralia* dixerunt, tribuendas esse crediderunt, qui specificam his ipsis in pulmones virtutem adscribere nequidquam dubitaverant. Haec inter medicamina, tum illa, quae blanda mucilagine instructa sunt, ac similis farinae syrapi, vel et pinguia, oleosa, — tum contraria his ipsis stimulanta, ex squilla marina, oxymelle inprimis squillitico, ex gummi-ferulaceis, gummi ammoniaco, ex kermete minerali, aliisque, numerata fuerunt. Haec iterum Theoria, negligendo casuum, sub quibus haec profuisse videbantur, accuratiore examine, quamplu-

rimis dannosa evasit: et cum a pinguibus oleosis persaepe ventriculus apud illos laederetur; apud istos, praesente jam phlogosi, ex novo stimulo admoto, non aliter, ac de ipsa peripneumonia monuimus (§. 198.), inflammatio membranae mucosae bronchiorum non parum augebatur. Saepe istius, a membranae, quae fauces obducit, affectione descendit, et a dulci mucilagine vel oleo sedatur irritatio; — vel quae nauseam, ut squilla, kermes, emetica, inducunt, per consensum ventriculi vel pectoris in nervos, vel in cutem operantur; non virtute specifica pectoris pituitam incidunt, resolvunt; sed saepe ab stimulum, quem, nimium jam, augent, puriformis copiam liquoris in bronchiis augere, et expectorationem suppressare cernuntur.

Varia hinc et hoc in catarrho medendi, atque nunc debilitans, nunc excitans, pro febris, causarum, aegroti habitu, diversa est ratio. Vomitorium interdum, sub certa inflammationis verae in bronchiis absentia, sub morbi cum saburris complicatione, sub pituitae collectae copia, tenacitate, vel debilitate, quam ut expelli haec posset, majori, sub tussi habituali, ac sub ipsa pulmo-

num tabe pituitosa, egregie conduceat; sed tunc plerumque, in catarrho acuto, praemissis, quae ob febrem, aut ob localem affectionem requiruntur, auxiliis, est haustus salini cum refractis tartari emetici, aut vini antimoniaci dosibus, usus; nec raro tussis nocturnae cum fructu per opium sopitum ferocia.

Sub *tussi diuturna*, quae senes, laxosque homines divexat, antimonialia non minus, quam polygalae infusum amarae, gummi ammoniacum aceto squillitico solutum, — si acre herpeticum, vel aliud subesse videatur; vesicans, vel ulcus artificiale, potissimum conducunt. Similia in *tabe pituitosa pulmonum*, sed simul roborantia ex cortice parata, victusque nutriens, equitatio, itinera maritima, vel sub coelo sereno ac altioribus in locis instituta, — interdum, ut diximus, emeticum, fumigationes aromaticae, indicantur. Si *periodica* catarrhi natura, aliaque, eundem ad *intermittentium* familiam spectare docuerint; ex cortice, ut in istis, porrecto, medela est.



ORD. II. GEN. II.

MEDORRHOEA.

§. 517. Consideratis membranae mucosae, Transitio.
 vias aeri hauriendo dicatas obducentis catar-
 rhosis affectibus (§§. 504. 512.), ad eos,
 qui , non absimili mechanismo , pudendorum
 mucosa intimaque velamina frequenter pre-
 hendunt, et *Medorrhoeae* , seu *fluxus puden-*
dorum , generali sub nomine compellari me-
 rentur , descendimus .

§. 518. Est vero *Medorrhoea*, vel seri , Definitio.
 muci , vel puriformis praesertim , sanguino-
 lentae interdum , materiae , ex vereadis mor-
 bosa , et cum variis , vel ex phlogosi praes-
 sente , vel ex partis impedimento , vel ex
 humoris jactura , vel ex lege consensus oriun-
 dis symptomatis incedens , distillatio .

Var. spec.

§. 519. Varias profluviorum hoc genus (§ 517.), et quas scholae passim aliuc, diverso sub nomine, demandant, species agnoscit. Vel enim sexus *virilis*, nunc ex glande, ejusdem viciniis, nunc ex ano, mucum, puriformem humorem, praeter ordinem naturae, eructat; — vel sexus *sequior*, nunc dictis ex viis et illi communibus, nunc ex sinu, labiis genitalium, nunc ex vagina, nunc ex utero, pituitosum liquorem foede profundit; — vel haec ipsa, ex causis diversis (§. 532.) propullulans, aegritudo, nunc celeri, nunc lento decursu absolvitur; atque ob istas, accidentales certe magis, quam ob constantes validasque rationes, ut mala inter se distincta spectari, atque nunc *gonorrhoeae*, *blennorrhoeae*, vel acutae, vel chronicæ, nunc *fluoris albi*, *leucorrhoeae*, nunc *haemorrhoidum albarum* denominatione, aut falsa, aut morbi sedem, materiae excretae indolem, haud satis exprimente, venire solebant. Ut rectius in hisce procedamus, hunc morbum distinguemus, ratione loci, ex quo scaturit, in *internam*, scilicet urethrae, vaginæ, ac recti intestini, — in *externam*, ut puta, glandis apud viros, — apud foeminas, labiorum, aut sinus vulvae, — ratione cau.

sae, in *primariam*, *mechanicam*, *phlogisticam*, *atonicam*, *contagiosam*, — in *secundariam*, *metastaticam*, *criticam*, *verminosam*, *gastri-*
cam, *calculosam*, — in *simplicem*, et in *com-*
plicatam, — in *acutam* denique, seu *brevio-*
ris potius *intervalli*, — et in *chronicam*, *ha-*
bitualem medorrhœam.

§. 520. Hæc, unius ejusdemque morbi
differentiae, illam symptomatum inducunt,
 ac sere protinus *localem*, — nunc magis ex-
 tensam, ac febrilem interdum, symptomati-
 cam scilicet, affectionem constituunt. Ea nem-
 pe, quæ urethram, quæ cavum uteri, va-
 ginam, sinum muliebrem, anum, investit,
 dives nervis, vasculis, ac folliculis mucosis
 membrana, glandulae quæ prostatam consti-
 tuunt, quæ penis ad coronam, ad vulvae
 labia, subtili velamento coniectae, jacent, a
 stimulo quocunque affectae, non aliter, ac
 similis ad nares, fauces, laryngem, tracheam,
 bronchia haerens membrana, irritantur, ac in
 phlogosin, *erysipelaceæ* plerumque, *phlegmono-*
sæ interdum, naturæ, rapiuntur. Sed juvat
 potiora ex istis, quo scilicet ordine incedant,
 possibili brevitate exponere.

Sympo-
matæ.

Medorrh.
urethrae.

§. 521. Ac primo quidem de *urethrae*, utrique sexui communis, apud viros longioris magisque incurvae, apud foeminas amplioris, brevioris, nec recto intestino, ut in illis, sed vaginae appositae, *blennorrhoea*, seu *fluxu mucoso* (*Medorrhoea urethrali acuta*, seu *brevi*) sermonem faciemus. Apud *foeminas*, medorrhoeae haec species *urethralis*, per *consensum* fere magis, quam ob propriam *urethrae* hoc in *sexu phlogosin*, oriri videatur.

Hic morbus, eo quod frequentius ab impuro concubitu, quam aliis ex causis (§. 533.), oriatur, a scholis plerumque sub codem, ac ipsa *syphilis*, tractatu exponi, et a plurimis cum eadem, sine tanto, ut credimus, experientiae fundamento, et a multis cum certo aegrotantium discriminare, confundi consuevit. Si quis interim consideret, *medorrhoeam urethralem* quocunque ex stimulo huic fistulae illato originem agnoscere, admissa virūs syphilitici in illa producenda potestate, fatebitur is, hanc *urethrae* affectionem multarum causarum effectum esse. Nec minus Veteres, qui, liquidum, hoc in morbo per *urethram* distillans, pro *semine corrupto* declarantes, hunc ipsum *gonorrhoeam* dixerunt, aut epitheto

vires *lentae* superaddito, ab illa, quae benigna sit, distinguere voluere, veritatis a tramite aberrarunt.

Eadem hoc in morbo, quam in *coryza* (508.), — sed ad ambitum in viris certe, minorem, et ob maiorem urethrae sensibilitatem, angustiam, positionem diversam, ob necessarium urinae per istam decursum, fortiora plerumque symptomata, pro sexus, causarum, constitutionis, diuturnitatis differentia, diversa, et certa per stadia non inepte dividenda, se offerunt.

Ac primo quidem, vel stimulo mechanico, locali, vel delata, alia ex parte, ad urethram irritante materia, vel contagio, mulieris infectae ex sinu, nunc paucas ante horas, — frequentius tres, quatuorve post dies, — nunc post hebdmadem, — rarissime, si unquam, multo tardius, suscepto, nascitur, hoc ultimo in casu, ad partem urethrae anteriorem atque infimam, — in alio, ad aliam, pruritus, titillatio, genitalium coeterorum inguinumque consensus, ac fere major in venarem infaustam proclivitas. Succedit citius, tardiusve tensionis, caloris, ardoris primum moderati, — ac urinae, licet paucae, ad sui excretionem frequentius stimulantis sensatio.

In viris, membra spontaneæ, nocturnæ in primis, et ingratae erectiones, cum aliquo labiorum urethrae rubore, tumore, pruritu super glande extenso, — in foeminis, urethrae vaginaeque extremas ad oras, ad lacunas mucosas, phlogosis, per labiorum vulvae superficiem et commissuram extensa, — in utrisque, post urinam expulsam, ardores maiores novaeque mictionis necessitas, sequuntur. Hoc sub statu, secunda tertiate die, ex urethra plerumque humoris mucosi, puriformis, albescens, guttulae modo paucae, copia, tenuitate et acredine, quo major est irritatio, plerumque augendæ, ac linteæ flaviusculo colore tincturae, distillant.

In quibusdam, vix aliquid, praeter unicam puriformis materiae guttulam, in ore urethrae haerentem, comparet; ac leviori sub causa, malum, hoc solo jam stadio contentum, post paucos modo dies absolvitur. In aliis, non multis, majori scilicet morbi sub impetu, nec primo, nec alio in stadio secreto in urethra augetur; sed in sola istius inflammatione, eaque, ob majorem violentiam, *sicca*, aegritudo consistit.

Stad. infl. Ardore sub mingendo, ac nixu in expellenda vel pauca urina crescentibus, *stadium*

secundum, *tertiam* plerumque, vel *quartam* ad *diem*, *orditur*. Sub illis scilicet *symptomas*, continuo *adauctis*, os *urethrae magis* *magisque rubet*, *rigetque*; dolor *saepe per omnem urethrae longitudinem*, ad *perinaeum*, *extenditus*, ab *attactu*, *anteriori inprimis* *parte*, *navigularem ad fossam*, *increscit*. Glans *penis*, aut *foeminei labra sinusque pudendi* *rubent*, *lucentque*; *penis ipse calet*, ac vel *minime erectus*, *volumine augetur*, aut *plurimum retrahitur*; *cavum urethrae angustatur*, nec *lotium*, *nunc magis tinctum*, *aequali*, *indiviso*, *recto*, *plenoque rivo effluere sinit*; *erectio*nes *frequentes*, *dolentes*, *inprimis ad noctem*, *dorsoque decumbentibus succedunt*: *sub quibus*, *urinae excretio ad parturientis* *quasi mulieris nixus ac tormenta aegrotum* *cogit*. *Pollutiones*, *sub his membra virilis* *tensionibus violentis*, *spasmodicis*, *sub sonno* *contingunt*; *aut a vigili*, *voluptatis expertes* *et miserias aucturae*, *subinde tentantur*. Jam *vero major humoris puriformis quantitas per urethram continuo*, *sed praecipue matutinas* *ad horas*, *profunditur*: *qui humor flavas potissimum*, *atque subvirides*, *pertinaces in linteis maculas relinquunt*; *ac saepe cum sanguine*, *per strias*, *aut intime remistus*, *sece-*

dit, aliquando totum per morbum humor effluens colorem album retinere observatur. Quo major phlogosis, et, quae hoc mali sub impetu accedit, febris est; eo tenuior, magisque saniosus, foetens, atque acer, ut partes vicinas, quas alluit, erodat, exulceret, liquor distillat.

Suspensio
fluxus.

Inflammatione majorem ad gradum adaucta, et magis magisque expansa: hic fluxus, in primis apud viros, a frigore admisso potissimum, vel adstringentium injectionum ab usu, a nova venere, masturbatione, exercitio violento, a potu spirituoso, suspenditur. Mox ardor ac dolor sub mingendo insigniter increscit; universa nunc urethra tenditur, riget; penis ipse inflammatur, calet, tumescit, ac duritiem assumit; erectiones virgae frequentes, priapismus, cum doloris lacinantis ac urethram perfodientis sensu, ad fraenulum in primis directo, subintrant. His, testiculi unius, utriusque tumor inflammatorius (§. 524.), aut *bubo inguinalis* (523.), interdum *ophthalmitis* (§. 150.), — ad anum, tenesmus, accedunt. Continuus, ad *sicciam* nunc urethram, mingendi stimulus urget, nec fere gutta exprimitur lotii; repleta expelyi assurgit vesica, lumborum dolor, nau-

sea, vomituritio, vomitus, anxietas, jactatio, pressio, tensio, summusque dolor perinaci sequuntur; ac, nisi promptius feratur auxilium, cum abscessus, paralysis vesicalis, gangraenae, vitaeque instanti periculo, excretio urinae in totum supprimitur. Interdum plures, per urethrae longitudinem, glandulae lymphaticae tument, et dolent: quae, forsitan suppuratae, ac in illam apertae, tot impuros, ac patulos urinae abscessulos fistulasque scroti, perinai, constituunt. Haec *inflammatoria* medorrhoeac urethralis periodus, tam vehementia, quam diuturnitate symptomatum, pro causae, sensibilitatis, habitusque universi ratione diversa, nunc brevior mitiorque est; nunc, si contagium praecesserit; plerumque ad octo, decemve dies extenditur; longiorem, sub vivendi, medendi ratione perversa, in moram protrahenda. Sed alia his cruciatibus persaepe junguntur, quae describi hic magis, quam alibi, merentur.

§. 522. Quodsi scilicet una magis ab urethra parte inflamatio, sat profunda, predominet, ac sub ista, ut solet (§. 125.), humor puriformis in ambientem lateris illius cellulosam transudet, — aut glandula lym-

phatica, folliculus mucosus ad conspicuam magnitudinem turgeant; aut spatia cellulosa, recipiendo sub erectionibus sanguini dicata, ex praegressa inflammatione, deleta, vel quamcunque ob causam ex parte destructa sint; oportet, ut penis erectus, quo loco corpora cavernosa a vicino tumore compressa, vel ipsam ab inflammatione correpta, vel ob cellularum concretionem, deleta, turgere minus possunt, a solita rectitudine declinans, in latus illud (*chordam dixerunt*) vel brevi, vel *chronico* affectu, *curvetur*. Ad inferiora vero penis, quo loco urethram corpus spongiosum amplectitur, potissimum deflectit. Est interim in iisdem subinde aegrotis inconstans veretri, licet aequi erecti, incurvatio: quod non minus, ac ipsa medendi ratio (§. 537.), ac demum ipse *tumoris* sub penis *curvatura* defectus, *spasmi* presentiam saepe multum hoc ad phoenomenon contribuere docet. Rarum est, nec visum nobis, quod ligamento penis suspensorio ab inflammatione correpto, ad pubem retrahatur hic idem. Interdum sub violenta penis incurvi erectione, sanguis, quod *stimatosin* vocamus, cum impetu, ac plures, ut novimus, ad libras, ex urethra prorumpit: quo facto,

symptomata inflammationis in quibusdam se-
dantur. Sed in quavis fortiore medorrhœa
urethrali sanguis, ut monuimus (§. 521.),
facile cum muco, quin igitur conspicua vaso-
rum laesio ubique praecesserit, excernitur.

§. 523. In aliis, sub ipso morbi impetu, glandulas inguinales a tumore cum phlogosi, tensione, dolore, ac certo in suppurationem nisu prehendi, seu *bubonem* (§. 83.), cuius varia est indoles, contrahi videmus. Triplici verum modo, causa morbi vel ipsas ad glandulas deducta, — vel alibi, vasorum lymphaticorum ad oras, — vel denique ad nervos genitalium, haerente, *bubo*, *idiopathicus* illinc, hic vero *symptomaticus*, nascitur. Ut ergo ex istis, variam, aut pro materiae absorptae, aut pro stimuli longinqui differencia, naturam agnoscit. *Symptomaticus* vix non ubique est *bubo* medorrhœam urethralem simplicem, aut vix nascentem, aut vigentem concomitans; et sicut vulnus, emplastrum vesicans, vel sola adeo punctura, parti sensibiliori, et ex qua glandulae lymphaticae vascula sui generis suscipiunt, ad longas etiam distantias, illata, jam saepe buboni in illis generando sufficiunt: ita et quævis ad

Bubo.

urethram irritatio , vel solus ab acri , cuius^a
 cunque demum sit indolis , eidem introducto ,
 contactus , vel simplex inflammatio , quia
 haec ipsas ad glandulas penetraverint , bu-
 bonem producere queunt . Producunt vero
superiorem , quam vasa genitalium lymphatica
 ascendunt , glandularum inguinalium ad se-
 riem ; cum stimuli ex crure affecto venientes ,
 si (non rara coeterum) utramque inter se-
 riem vasorum communicatio lymphaticorum
 defuerit , *inferiores* potissimum ad glandulas
 tumorem promoteant .

Quamcumque vero causam in medorrhœa
 urethrali bubo agnoscat , nisi ulcus syphiliti-
 cae naturae se simul manifestet ; incerta est
 tumoris , utrum idiopathicus , symptomaticus-
 ne dicendus sit , diagnosis ; ac utraque in
 specie dubia est , a morbi initio , tum illius ,
 quae resorpta sit , — tum ejus , quae sim-
 plici contactu stimulet , materiae natura . Nec
 etenim semper , qui *symptomatico* extollitur ,
 bubo , aut mitior est , aut faciliter dissipatur ,
 et suppurationem effugit ; nec tumor *idiopa-*
*thicu*s , aut crescit celerius , aut resolvi omnis
 recusat ; nec denique minus *alia* , quam sci-
 licet vasa lymphatica susceperunt , et ingui-
 nales ad glandulas duxerunt , materia , ac
virus

virus ipsum venereum, bubonem hic loci producere potest.

In una, alterave glandula, praevia plerumque stimuli in genitalibus sensatione, bubo inguinalis comparet. Tensionem, et quasi chordam ex illis ad inguina tensam aegroti accusant; et in glandula affecta, calor, tensione, tumor durus, dolor, ab attactu sensibilior, occurunt. Si plures simul glandulae affectae sint, tumor inaequalis insurget; sed una ex illis, coeteris incremento celeriori praecedit. Hoc facto, cutis colore mutatur, rubet, calet ac tenditur ipsa. Varium sic bubo volumen acquirit, et ab ovi, ad pugni magnitudinem, motum corporis gressusve protinus impediens, ascendit. In multis, febris sat intensa his phoenomenis accedit; in aliis, pauca inflammatio dolorque paucus se produnt; cutis pallescit, ac oedematosi tumoris naturam bubo assumit. Hinc varius istius, ac pro causae violentia, pro subjecti, medelae ratione, diversus est exitus. Pars plurima bubonum, quod pridem, ob falsam hypothesin, timuerunt, felici cum eventu, resolvitur; alii ex istis, in *abscessus*, non raro perquam taediosos, mutantur; *scirrhosam* aliqui duritiem, caloris sensusque expertes, as-

sumunt; paucissimi *gangraenam* subire cernuntur.

Ne vero bubo cum *hernia* inguinali confundatur, curandum est. Distinguitur ab ista, quod magis durus dolensque sit; quod loco profundiori haereat, magisque mobilis ab initio esse soleat bubo; quod lentius plerumque, ac *hernia*, et ex causis diversis, oriantur; quod cutis ruborem mox contrahat delectaque; quod *herniae* symptomata deficiant. Non facile cum scrophulis bubonem aliquis confundet, si latius illas, quam istum, extendi, si lentiori origine, vel ab ipsa infancia, nasci, si doloris plerumque expertes, nec tantae inflammationis, quam bubo, capaces esse cogitaverit. Utriusque complicatio mali, per attentum in ea, quae bubonem praecesserint, vel quae eundem comitantur, animum eruitur.

Epididym.

§. 524. Frequens medorrhoeae urethralis, symptoma *Epididymitis* est: quod nomen morbo, quem inepto *herniae humoralis*, *testiculi venerei*, *gonorrhoeae in scrotum delapsae*, sub titulo hucusque novimus, melius convenire videtur. Non modo scilicet cum liquoris puriformis ex urethra excretio, quamcunque

per causam , supprimitur; sed et medio , — quidquod aucto sub effluxu , et, ut vidimus , sub dubio adhucdum istius principio , vel et sponte cessante blennorrhœa , tumor mollis et quasi pulposus prope ipsum , ut fere duplex videatur , testiculum , comparet . Dolor ventris , lumborum , coxa fum , nausea , ructus , interdum vomitus , borborygmi , diarrhoeae , nonnunquam praecedunt ; pondus ad testem sentitur ; ac aliquis sub ingressu , vel attactu dolor se prodit . Post diem unum alterumve , hic tumor dolorque increscunt . Plerumque vero *epididymidis* portio inferior , vel et *tunici vaginalis* , non ipse testiculus , tumoris sedem constituit ; ac in molem illa convexam , tamque amplam , ut testem vix non omnem , manifeste molliorem , circumdet , extenditur . Nunc dolor , inprimis ad noctem , augmentum capit ; ac tumor ipse , jam durior , per totam epididymidem , per vasis deferentis , ac funiculi spermatici portionem , sub figura ovali , pyriformi , ascendet , ac pugni virilis magnitudinem non raro acquirit . Hoc rerum sub statu , vel ipsi testiculo , vel tunicae vaginali , ipsique scroto , inflammatio communicatur subinde ; vidimus que , ex ista , paucarum intervallo dierum ,

*hydropem tunicae vaginalis acutum atque conspicuum, venisse. Interrea et ipsum vas deferens turget, ac tensum quasi refert funiculum, et venae spermaticae sanguine ultra modum distentae, et quasi varicosae, tumorem adaugent, et abdominalem ad annulum, forte ex spasio constrictum, strangulationis periculum, sub ventris dolore, meteorismo, vomitu, singultu, minantur. Quicunque nunc motus, aut corpore erecto ingressus, prae dolore, per nervos spermaticos ad renum regionem extenso, impeditur. Nec tam febris ubique hic urget, sed pauca est in multis; nisi major hanc sensibilitas et plethorica excitaverint constitutio: quo sub statu, et nausea, et dolores ad coxas, et termina, ex lege consensus oriuntur. Plerumque hic tumor inflammatorius, qui ipse irritationis, phlogosis ad urethram praegressae, aut praesentis, *symptoma* est, post unam alteramve hebdomadem *discutitur*, ac rara est illius, modo recte tractati, *suppuratio*. Rarissima hic loci ac forsitan ex dicta funiculi spermatici abdominalem ad annulum strangulatione repetenda, *gangraena* est. Frequentior epididymidis, a morbo superato, *durities*; interdum cartilaginea, et fere ossea, occur-*

rit: quae interim, nisi major sit, et a causa irritante in molem fungosam excrescat, aut forsitan in plenum periculo carcinoma mutetur; per multos saepe annos, suspensorio suffulta, sine tanto salutis, vel ipsius fertilitatis, detimento perfertur. Hoc rerum sub statu, aliquando *hydrocele* tumori testis accedit. Interdum ex uno ad alterum testiculum quasi transilis inflammatio; interdum omnis, restituto muci per urethram, suppresso forsitan, effluxu, disparet.

§. 525. Praeputii, penis *ante coronam*, *phimosis*. ut reduci super istam non possit, morbosa strictura, *phimosis* vocatur. Haec interdum pueris *congenita* est; ac facilem urinae excretionem apud istos, — in viris, penis erectionem completam impedit. Sed *accidentalis*, multiplices ob causas, inducitur *phimosis*: ubi vel praeputii, glandem cooperientis, extremum ad limbum, diameter imminuitur; vel coles ipse molem hac sua vagina majorem acquirit. Rarius hoc ultimum, nisi ob natas forte tardius in glande inflammationem, excrescentias, verrucas, — frequentius primum, ob oedema, phlogosin erysipelaceam, ulcea, callum, frenuli laesionem, contingit. Ex

praegressis variolis, et abscessulo ex istis, praeputii ad limbum relicto, phimosis con-spectimus. Scilicet ob laxam internae praeputii membranae, telaeque cellulosae, qua haec cum externa connectitur, naturam non minus, ac ob declivem et pendulam hujus veli positionem, facilis est serosi, lymphatici, puriformis humoris, — quin, ipsius urinae, ex urethra, per ulcerata, ab anasarca, vel a phlogosi praegressa, infiltration. Sub ista, praeputium stringitur, tumet, pallescit, interdum vesiculis seu *bullis cristallinis*, superiorem ad marginem, obsidetur, ac viam lotio, vel et muco, saniei, alluentibus, aucto abhinc stimulo, preecludit. Hinc frequens apud illos, quibus longum et augustum est praeputium, ad phimosis, tam sub urethrae, glandis medorrhoea, quam si ulcera venerea, alia, hic loci lateant, occasio habetur; ac nisi promptum huic malo feratur auxilium; praeter urinae, saniei, excerni impeditae incommoda, et praeterquod glans ipsa penis erosa, interdum vicina cum praeputii portione concrescat, — per alteram, acri a sanie collecta, abscessus sub forma elevatam, consumtam, vel, quasi glans altera, pro parte, vel tota, penetret, strangu-

Ietur, ac junctam cum *paraphimosi* (§. 526.) *phimosis* formare videtur, — a celeri haec tenuis membrana *gangraena* corripitur. Alias in longum satis tempus trahitur, et *chronicam phimosis* indolem assumit.

§. 526. Contrarium exposito (§. 525.) vitium, cum scilicet *praeputium* arcte *penis retro glandem* contractum, hanc super ipsam abduci nequit, *paraphimosis* vocatur. Haec igitur, ipsa ex *phimosi*, repulso violenter, nec prius laxato, post glandem *praeputii* anulo, aliquando exorta, communior apud illos est, quibus brevius magisque angustum natura *praeputium*, ac ampliorem sine velo glandem esse voluit. Interna scilicet potissimum illius membrana subtilior, laxior, sensibilior, quacunque ex causa, irritata, et cum tela cellulosa vicina a *phlogosi* correpta, intumescit, revolvitur, et a cute externa in unum, vel plures in annulos contracta, cum ipsa glande, quae tumet, livet, vel bullis *eristallinis* obsidetur, non sine celeritiae *gangraenae*, colem mutilantis, vel adco lethalis, periculo strangulatur. Interdum, minus vehemens, hoc malum, ob insertas *praeputio verrucas*, per longum satis tempus,

quasi *chronicum*, protrahitur. De tumoris insignis, a lympha coagulabili, inter praeputii laminas congesta, producti, ad capitis infantilis magnitudinem in paraphimosis adacti, et ab experto chirurgo feliciter resecti, exemplo nobis constat.

Ophthalmus. §. 527. Jam alio in loco (§. 150.) *ophthalmitidis*, quam medorrhœa urethralis violenter suppressa inter omnes *acutissimam*, inducit, mentionem injecimus. Difficilis hujus, rari quidem, phænomeni explicatio est; ac si genitalium cum oculis consensus, ut videtur, pro causa debeat admitti; non minor tamen illorum cum larynge, vel cum thorace consensus, similem in ista morbum, quod sciamus, non inducit.

Stad. relax: §. 528. Haec fere sunt praecipua, quae stadium medorrhœae urethralis inflammatorium apud multos circumdant, et ex partium consensu oriuntur, symptomata. Sed, unde consulto recessimus, ad morbi principalis (§. 521.) descriptionem redeamus!

Tantorum scilicet sedes malorum, licet ardor dolorque per totum urethrae decursum se prodant, raro a fossa naviculari ultra pol-

licem cum dimidio extenditur: quo loco, ab attactu potissimum, ut a carbone accenso, dolente, rubor erysipelaceus urethrae superficiem, et cryptas mucosas suffundit. Interim frequens prostatae glandulae, post hunc morbum ab aegrotis diutius neglectum, vel aliquoties repetitum, suppuratio, scirrus, ac pendens ab istis ischuria, — phlogosin non tam raro, ac creditur, ad urethrae posteriora haerere, et ipsius perinaei tensionem, tumorem, dolorem, in aliis symptomatica, in vera prostatae ac colli vesicalis, vel seminalium interdum vesicularum inflammatione consistere, nimis confirmant.

Hoc igitur stadium, sub quo majora medorrhoeae urethralis discrimina urgent, ac febris interdum valida acceditur, per octo, decem fere dies protrahitur; quo tempore, sub debita cautela, symptomata vel sponte decrescunt; humor effluens magis magisque albescit, tenacitatem majorem assumit; ardor sub urinae, minus tinctae, excretione, erectiones dolentes gradatim sedantur ac denique cessant; muci copia quotidie imminuit, ac potissimum densae, albescentis, ponderosae nubeculae sub forma, aut filorum vermicularium pellucidorum adinstar, fundum

urinae petit; nec raro, urethrae extremum ad ostium, in *pseudomembranulus*, hoc ipsum obturantes ac momentaneum lotio allidenti obstaculum posituras, coalescit. Tandem unius, aut alterius spatio hebdomadae, singula hujus morbi localis, nisi novis erroribus, quod, ob reliquam in urethra irritabilitatem, facile est, — aut ob menstrua, foeminae plethoricae, irritabili supervenientia, etc., revocati, ac demum in *chronicam medorrhœam* (§. 532.) conversi, symptomata disparent.

*Medorrhœa.
vag. acut.*

§. 529. Ex dictis vero symptomatis, alia, sexum modo unum, alia utrumque divexit. Sed licet foeminae, sub mictu, ad urethrae principium, ac omnem posthac per vulvam, non parum doloris accusent; prima tamen, in ea, quae per contagium patiuntur, medorrhœa, irritationis indicia, loco, quo virus proxime pertingit, ad *vaginam* esse, demonstrant succedens, mox ab impuro con. cubitu, hac in parte titillatio, calor, ac tensio; demonstrant summus vaginae, ab attac-
tu, vel ab admisso viri congressu, dolor; ac demum ipsa interdum oculorum inspectio: qua, mucum, licet omnis ad ostium vaginae

declivius *confuere* videatur, ex hoc tamen amplioris superficie canali potissimum depluere docemur. Hinc major ille sub urina mitenda tenesmus, non minus quam uteri ipsius, ligamentorum, pubis, lumborumque lassitudo, dolor, vel ex solo harum partium cum vagina consensu, — vel in quibusdam a modo congressus, conceptionis ob metum, infecti, quo contagium externis magis applicatur, pendebit. Haec igitur *medorrhœa vaginalis*, quoad materiae profluentis colorem ac indolem, cum urethrali (§§. 521. 528.) conspirat; sed longe mitius plerumque foeminas, quam viros, mulctat; licet plura in illis, ad *anum*, ob *vaginae* *viginiam*, ob muci acrioris ad istum confluxum, incommoda scaturiant; ac ob spongiosam laxamque *vaginae* structuram, ob declivem ejusdem positionem, ob novas a menstruis recurrentibus irritationes, frequentior in *chronicum* affectum (§. 532.) mutatio contingat. Exempla, ubi foeminae, medorrhœam, cuius ipsae symptomata necdum persenserant, viris dederunt, haud pauca habentur.

§. 530. Vel sine contagio et quovis a stimulo mecanico, vel alio, in primis herpe-

Medorrh.
Recs. lat.

tico, rheumatico, recti intestini ostio applicato, vel a muco infecto, sub horizontali decubitu, ex vagina versus anum confluente (§. 118.), vel haemorrhoidum tumentium, vel scirri prostatae, aut alterius tumoris actione, demum ex nefando flagitio, — sub iisdem interdum, ac in ipsa dysenteria symptomatis, ad anum medorrhoea comparet, ac mucus puriformis, a pure, quod fistulae, abscessus, hic loci non raro largiuntur, versus, coloris albi, flavescentis, aut viridis, subinde sanguinei, copiosus, sponte secedit.

*Medorrhœa
externa.*

§. 531. De muci puriformis ex labiis sinuque mulierum externo fluxu jam diximus (§. 521.). Sed et viri interdum, licet raro, ex glande penis sola, vel loco, istam ac praeputium intermedio, seu veretri ad collum, vel demum ad internam praeputii superficiem, in primis sub phimosis (§. 525.), eundem copiose, nec dote, ab illo, quem urethra plorat, distinctum, sine ulceris praesentia, cum partis affectae rubore, splendore, ardore, tumore fundunt: quod mali genus spuriam quondam gonorrhœam dixerunt. Nullus hoc in casu urethrae ardor, nulla immittenda urina, ubi simplex, nec ad urethram

extensem est malum, difficultas occurunt; sed tenax albaque materies glandem, aphtharum, ulceris, aut et pseudomembranae sub forma, integrum et illaesam obducit; ac, pro causae natura, vel paucas post dies, vel solito medorrhœis descriptis (§§. 521. 528. 529.) longiori decursu, secedente interdum epidermide, siccatur.

§. 532. Quaecunque vero ex dictis medorrhœae speciebus (§§. 520. 528. — 530. 531.), cessantibus licet irritationis sensibilis indiciis, ac stadio *relaxationis* (§. 528.) jam aliquot per hebdomadas protracto, nihilominus aut nunquam siccatur, aut ob exiguae rationes repullulat: ea, utroque in sexu non infrequens, in sequiori, frequentior, *habitualis*, vel *chronica* vocatur. Scilicet, quin ad locum, ex quo mucus effluere continuat, sub mictu, vel ardor, vel dolor, — quin, in viris, erectio molesta, vel sub humoris genitalis ejaculatione, urentis caloris sensatio in urethra, — quin ad vaginam in foeminis, sub coitu, perceptio ingrata supersint, humor tenax, albi plerumque, — interdum et alterius, coloris, — nunc paucus, matutinas in primis ad horas, vel tempore, quo nixus

Medorrh.
chronica/

suscipitur , aut stimulus praecessit , — nunc multus , continuo , distillat , ac viscidum sensimque acredinis et proprii foetoris non expers gluten genitalia inquinat , viresque , sub muci secedentis excessu , non parum infringit . Atque haec est *secundaria* , quae , utroque in sexu , ex acuta , et ex ea , quae contagium agnoverat , neglecta , vel iterum iterumque redeunte , frequenter procedit , medorrhœa . Glandis , sub ista , *impetiginem* , nisi talem , quam impuritas produxerit , breviorem , non vidimus .

Med. foem.
insens. Alterius originis , non vero diversae penitus naturae , est humoris , aspectu mucosi , ex foeminarum genitalibus fluxus diuturnus , *fluor albus* , *leucorrhœa* Auctorum ; quod genus profluvi *medorrhœam foeminarum insontem* vel contagio carentem , vocabimus .

Copiosi , utilissimique vapores ac muci fontes , uteri , tubarum , vaginae cava irrorant . Haec ita contingunt : ne sana in foemina , aut virgo sit , aut malier , excepto menstruorum , coitus , partusque vicini , praesentis , peracti , tempore , indecorus e vagina fluxus sequatur . In humana interim , quae corpore erecto incedit , foemina , frequenter , ex causis adeo non semper tam

magnis, liquidum hic loci, aut copiosius, quam par est, et morbosum secernitur; aut per vasa lymphatica abduci non potest: quo fit, ut humor serosus, mucosus, puriformis, coloris subalbidi, flavescentis, vel ad viridem, subnigrum tendentis, — odoris nau- seosi, vel et foetidi, nunc modo paucis, cum menstrua vel instant, vel cessarunt, diebus, vel sub nixu, motu corporis fortiori, cibo- rum, potuum spirituosorum intemperantia, perspiratione suppressa, vel ad horas matu- tinas, vel incertis, vel periodicis subinde intervallis, — nunc vero continuo, aut pau- cus, aut plurimus, nunc blandus, nunc acris et vicinias arrodens, distillet. Non absimilis tunc membranae, quae genitalia obducit, status, ab eo narium, gutturis, tracheae, bronchiorum, quem (§. 506.) descripsi- mus, dicendus est; ac saepius verum *vaginae catarrhum*, acutum, chronicumque sistit; — alias ex coryza suppressa nascitur; — vel hanc ipsam, a pudendis aversa, ut exempla docuere, et tussin, et asthma, et tabem pul- monum pituitosam (§. 513.) producit me- dorrhœa.

Communissimum haec ipsa, urbium inter Dispositio-
humidaeque regionis delicatulas, imbelles,

cachecticas, laxique habitus incolas motu corporis privatas, — frequentiorem apud juniores puellas, vel illas apud mulieres, quae sepius abortum, aut, aetate teneriori, plures, sibique vicinos nimis, difficilesque partus, — aut nullos usquam, steriles, expertae sunt, — quae propria crudeles prolibus ubera subducunt, — quae semetipsas masturbant, — quae menstruo fluxu privantur, aut parcum nimis, difficilemque fundunt, aut nimium patiuntur, morbum constituit; sed nulla est aetas, nullusque corporis est habitus, quae medorrhœae hac specie, ex causis diversis (§. 534.), non interdum laborent; et virgo impubes, matura, et foemina coelebs, et uxor, et vetula in primis, hoc a fluxu haud raro foedantur. Vel sub ipsa graviditate fluor albus interdum sceminarum continuo divexat.

Sedes.

Quo ex fonte profluvium hoc morbosum scaturiat, est quaestio. Ex *utero* venire, negant, qui hujus ad osculum in teneris pueris, in virginibus, in gravidis, clausum respiciunt. Uterum accusant, qui menstruum ex hoc ipso fluxum stillare noscentes, fluoris albi, vel præevii, vel mox a menstruo cessante venientis, vel menstrua supplentis,

succeso-

successionem considerant. Nos certe sinum externum, vaginam præ aliis, non raro et uterum, et tubas istius aliquando, humorem, de quo agimus, largiri, sectione pathologica id ipsum docente, putamus. Virginibus os uteri connivet; prægnantibus humano clauditur ab ovo; sed quoties hæc viae patent: toties ex uteri, tubarumque cavo humorem quemvis morbose secretum per loca declivia ferri, ac per vaginam stillari nil impedit. Nisi *uterus* hoc in morbo frequentius ipse laboraret; vix tanta in *abortum* sub isto proclivitas, nec *sterilitas* tam saepe in foeminis hoc profluvio affectis observanda venirent.

Nec certe, quae hoc sub morbo fluunt, ex pituitae folliculis singula venire, aut si-
stere *mucum*, credendum est; sed humor *puriformis* (§. 128.) ex omni, qua late pa-
tent genitalia, superficie irritata, non aliter,
ac de urethra stimulis affecta diximus (§.
521.), secernitur, et cum muco cervicis
uterinae vaginaeque excernitur mistus.

Hinc difficilis non raro *medorrhœae insolu-*
tis, tum ab illo, quod contagium plerumque
ex urethra non minus, quam vagina induxit
(§§. 521. 529.), profluvio, tum a *purulenta-*
to, ex latente in genitalibus mulierum inter-

Materiae
indole.

Distinctio
morbi

nis, aut vicinas, quae cum istis communica-
nt, ad partes abscessu, vel ulcere, pen-
dente effluxu distinctio; et nec materiae per
vaginam defluentis aspectus, nec alia ejusdem,
quam sensus discernant, qualitas, nisi ex
cauto rerum, quae praecesserunt, ac sympto-
matum examine lux aliqua affulgeat, ad dia-
gnosin sufficiunt. Difficultatem vix parit
menstruorum decolorum, pallidorum, albitorum,
ex sero vel muco potissime consistentium,
vix sanguine tinctorum, quae virgines inter-
dum ac mulieres chloroticae sub certis *perio-*
dis patiuntur, a fluore albo, qui promiseat
ac sine ordine, vel cum inordinatis, aut ni-
misi jam mensibus succedit, distinctio. A
pure, vel mucosa materia ex ipsa vesica
veniente, medorrhoea per continuum efflu-
vium, quod ex vesica, a paralysi non affec-
ta, non nisi laxato pseudosphynctere con-
tingit, sat facile distinguitur. A vera *gonor-*
rhoea (§. 547.) differt medorrhoea, quod se-
minis fluxu, nisi voluptas, — sensus tamen
aliquis comitetur, ac major debilitas sequar-
tur. Ad *purulentum e vagina effluxum* quod
spectat, hic sese origine, quam praegressa
inflammatio, supperatio ad uterum, vesicam,
intestina, peritonaeum, exhibuit, ac signis

istarum (§§. 227. 267. 243. 220.) a *medorrhœa vaginali chronica et insonti* distinguit. Magis ardua, impossibilis interdum, est istius, ab *acuta*, per contagium plerumque inducta, vel ab aegrotis celata, vel quodammodo protracta, vel demum complicata (§. 529.) distinctio. Si fides coitum impurum neganti haberi queat, et cohabitantis mariti sanitas testimonium confirmet; si ardor, dolor, vel urinae difficultas, conspicua, a morbi initio defuerint; si profluvium passu lento, aut brevi tempore, priusquam menstrua prodirent, aut mox ab istis, inceperit; si junioribus puellis, loco sanguinis, serosa, mucosa ex utero materia, sub iisdem, ac solent menstrua, phoenomenis, ac certis modo *periodis*, effluat; si blanda primum ac pauca satis, albidaque materia, sub mitioribus symptomatis, ac sensim sensimque copiosior, sub lumborum, ossis sacri, coxarum dolore, ventriculi languore, effluxerit; si laxa corporis conditio, vitaque inners, aut quae diximus alia, vel quae infra dicemus (533.), praecesserint: tunc profluvii indoles insontis et chronicis vix dubiis obruitur. Augebitur difficultas, si major effluentis liquoris acredo jam adsit, ac, sub debita licet

genitalium puritate, haec ipsa tamen, aut illa viri coeuntis arrodat, exulceret, vel medorrhœam urethram (§. 521.) ex istis, quae interdum contingunt, inducat. Interim facilius breviorque istorum in viris, quam a contagio suscepti, malorum est cura, ac fidelis symptomatum, quae foeminam a morbi principio, blandiora, tenuerunt, et nunc magis ad lumbos ventriculumque divexant, hic faciem, — nec tamen semper, ne errori sit locus, sat claram, accedit. Fluorem album sub fluxu menstrui cessare, quod menorrhœa ex contagio non faciat, sine quovis fundamento, cum humor uterque, cum sanguine mistus, distingui non possit, dixerunt.

Symptoma-
mata. Sed ipsa symptomatum, quae medorrhœam chronicam ac insontem foeminarum circumdant, historia, diagnosis certitudinem adauget; ac si forte simplex, sine ulcere venereo, medorrhœa neglecta (§. 529.) illum, quod non raro contingit, induxit; non magno certe in praxi errore haec causa ignorabitur. In genere *locali* medorrhœa aegritudinem, nisi totius debilitas systematis praecesserit, constituit; et quae coetero in corpore sub illa succedunt; hujus morbi symptoma, effectum, non vero causam sistunt.

Hinc pauca, in sanis coeterum mulieribus, donec major humorum jactura sequatur, ab initio, et per menses, quin annos, totius corporis incommoda se produnt; ac primum, sibi genitalia plus aequo madere, mox vero, quibusdam, ante quam menstrua se prodant, ac postquam cessaverint, diebus, humorem serosum, linteal ex pallido tingentem ex vagina aufugere observant. Sensim sensimque in plurimis, nam in quibusdam derepente hic fluxus sat copiose prorumpit, cum horis matutinis lectum, in quo, supinae, nil adverterant, deserunt; pituitosum sibi humorem e vagina per crura descendere percipiunt. Hic effluxus interim suspenditur; sed sub alvo cum nixu deposita, sub corporis exercitio, post lautum prandium, redit, atque temporis tractu augetur. Jam primum oculi quasi humidi, aut *vitrei*, et arcu sublivido, plumbeo, utriusque tumor palpebrae aquosus, cum faciei pallore, tumore, comparent. Morositas, pigrities, lassitudo, ac aliquis ventris, dorsi, lumborum dolor per os sacrum extensus, accedunt. Ventriculi tandem functiones labescunt; digestio tarda, difficilis, oppressio, morsus, dum jejunae sunt, ventriculi, ructus et aquae vomitus

acidae, sequuntur; interdum alvus adstricta, interdum laxa est; debilitas corporis, genuum impotentia, crurum perfrigeratio quotidie augentur; sub motu corporis et accidivium ascensu, cordis palpitatio, anhelatio, se produnt.

Hoc rerum sub statu, periodicus sanguinis ex utero fluxus consueto ab ordine, plerumque tardior et paucus, interdum nimius, recedit. Augetur muci hoc tempore, vel et parum a sanguine tingitur, fluxus; incommoda plura, lumborum tensio, dolor obtusus per uterum, laterum mollitudinem, abdomen, pelvum et crura extensa increscunt. Interea color habitusque materiae mutatur: flavescit, virescit ista; odorem spirat nauseosum; ipse vaginae sensus a spisso, quod hic confluit, glutine obtunditur; fastidium creant maritis uxorum amplexus; quae interim, licet et hoc interdum sub statu concipient; plerumque tamen, ob systematis vitium uterini, vel steriles redduntur, vel partum immature expellunt. Saepe uterus, aperto, praeter ordinem naturae, osculo, et gravior, profundius descendit, ac interdum prolabitur. Gluten ipsum genitalia inundans ex parte per urinas abstersum, vel turbidas, subalbas, asininas

has reddit; vel floccos, aut filos in illis capillares, pellucidos, aut crassam gravemque nubem ad fundum constituit; ex parte, vaginae inter rugas et in profundis lacunis diutius retentum, corruptitur, acre dinem, foetorem contrahit, ac in ichorem conversum, pruritum, voluptuosum interdum, ardorem ac phlogosin internam producit, vaginae superficiem arrodit, ac uterum, vesicam, anum, in consensum trahit. Interdum saniosa, linda, subatra, foetidissimi odoris materia tam copiose prorumpit: ut et gressus impedire, et lectulos altius subterpositos illuvies penetrasse sit visa. Hoc tandem sub statu, pallor subflavus corporis, debilitatis, nervosi systematis affecti symptomata, anxietas, tristitia, cephalaea, anorexia, increscunt; accedunt febricula lenta, cum pulsu parvo, duro, inaequali, frequente, macies cum tussi arida, quam breves per intervalla thoracis dolores, ac nocturni sudores pessum dant; vel pedes primum, mox vero crura, corpus universum, hydropico tumore inflantur; uteri interdum haemorrhagia jungitur; ac singula tristem morbi perlungi eventum praenunciant.

Causae.

§. 533. Sub diversarum medorrhoeae specierum historia, causarum simul potiorum mentionem injecimus. Quae vero ex istis referendae supersunt, aut, ad meliorem morbi intellectum, uno quasi agmine disponi meritur, has adduci nunc interest.

Med. acut.

Medorrhoeae acutae *urethralis* (§. 521.), *vaginalis* (§. 529.), *recti intestini* (§. 530.), *externae* (§. 531.), causam, in quovis stimulo, mechanico, vel alio, has in partes agente, quaesivimus. Quae vero causae hunc ipsum inducunt; has, tum ipso *in corpore*, — atque tunc, mox ipsam ad partem, quae aegrotat, mox alibi, generari, atque hic, vel ad illam deponi, vel lege consensus, vel partium mechanismi, in eandem operari, — tum corpori, vel parti, quam offendunt, ab *extus* inferri, — tum *ambobus* his modis oriri, dicendum est. In dictis hinc partibus, ut in aliis, communibus ex causis, phlogosis accendi, et ad humoris mucosopuriformis secretionem porrigi occasio potest. Frequentius, ut nos ipsi non semel observavimus, rheumatica materia, aliunde in urethram profecta, medorrhoeam induxit. Similes de podagrico, seu arthritico, aliove

ab acri observationes in fastis medicis occurunt. Ex sola gingiva, ob dentem eruptioni vicinum, dolente, ut in aliis frequenter diarrhoeam, — sic pluries, eodem in homine, medorrhœam urethram exortam esse legimus. Ex fortiori, per catharticum, stomachi, intestinorum stimulo, praesens medorrhœa augetur. Ex recto intestino a phlogosi, haemorrhoidalem vel aliam ob causam correpto, ad urethram medorrhœa nonnunquam comparet. Ex fluxu vaginali, perinaeum ac anum infestante, hic ipse ad similem secretionem stimulatur. Ex vicino urethrae, vaginae, recto intestino, tumore, vel ex prostate induratae, ex polypi, aut scirri uterini, aut abdominalis ex visceris morbosi has in partes pressione, medorrhœa haud raro scaturivit. Ex cereolo, canali urethrali, — ex pessario vaginae diutius immisis, a cerevisiae, vini, recentium, nec fermentatorum potu, ex materia acriori, pudendis injecta, ex concubitu cum foemina, fluore albo acriore laborante, leprosa, vel summopere impura, frequenter medorrhœa originem desumsit. Sub alterius stimulantis materiae, in parte corporis quadam praesentia, admotus urethrae, vaginae cujuscunque

naturae stimulus, latitantem alibi somitem
has ipsas ad partes invitat, accedit, et me-
dorrhoea *complicata* inducitur.

Anex ul-
ceros? Nee certe, ut ista sequantur, *ulcus* in
urethra requiritur; nec in ipsa, quam conta-
gium ex concubitu impuro excitaverat, me-
dorrhoea, pathologicae sectionis testimonio,
nisi raris, et complicatis, ut videtur, in ca-
sibus, *ulcus*, aut reliqua ex isto *cicatrix* de-
tecta fuerunt. Praeterea nec *ulcus*, primis
jam morbi diebus, cum vix incipit phlog-
osis, adesse, — nec, superficiale et parvum,
mox tantam puriformis copiam materiae lar-
giri, — nec tam celeriter, ac solet, medor-
rhoeam repellere posse, supponi prudenter po-
test. Vel ipsa tandem partium coeterarum,
narium, oculorum, anique, puriformem ma-
teriam striasque sanguinis, sub acuto dolore,
sine ulceris, fundentium copiosa exempla,
et nudus genitalium, in mulieribus medor-
rhoea laborantibus, aspectus, pristinam, quae
ulcus in simplici communique moedorrhoea
supponit, theoriam falsitatis convincunt.

Praesentis aliquando, ad urethrae canalem,
ulceris, facile *venerei*, signa indicare sat certa
vix possumus. Si violenta, ac diurna ad
urethram inflammatio, cum perversa viyendi,

medendi methodo, praecesserit; si, cessante jam illa, modo pauca, interdum vero nulla, sub insigni ardore, dolore, sub attactu, loci semper ejusdem, materia effluat; si cereolus tenuior, canali immissus, cruciatus quamplurimum exasperet; si effluens materia non intime cum sanguine, sed cum striis cruentis remista, secedat; si longum per tempus haec symptomata, consuetis remedii resistant; tunc utique justa satis dubia de urethrae integritate nos premunt. Interim ardentissimum, et constantem uno eodemque in loco, ac simul a quovis attactu violenter aductum, cum nullo effluxu, urethrae, a concubitu suspecto, dolorem, sine lue insecura, observavimus.

Communissimam vero causam medorrhoeae An vene-
rea.
(§§. 521. 529. 531.) sexus unius cum altero, ex simili contagio genitalibus infecto, congressus constituit. Hujus contagii origo prima nos latet; sed quacunque ex causa, nunc quidem cessante, sponte primum descendenterit; an *idem* cum illo, quod *luem venereum* inducit, dicendum sit, sub judice lis est. Ex eadem certe scaturigine propullat utrumque; — sed inde, si modo, *simplex*, cum altero non confluat, *diversum* et nobis

utrumque (§. 521.) videtur. Omnisso interim, quod satis incertum sit, antiquitatis hujus profluvii, prae *lue*, majoris argumento, potiora, quae allatam opinionem sustineant, fundamenta, ab eximiis licet Viris sat fortiter concussa, adducimus.

Donec igitur infensi hominibus contagii, quod *syphilidem* communicat, indolem rectius definire discamus; id ipsum, virus esse dicamus, quod concubitu impuro plerumque corpus, praevio locali affectu, subintrat, — susceptum ab isto, solius naturae, vel aliorum, quae nota sint, auxiliorum beneficio *nunquam*, — per solum vero *mercurium*, systemati vasorum ingestum, ac ab isto, incognitas ad leges, mutatum, efficacia, certitudine, quam nullibi morborum internorum hoc metallum manifestet, evidenter majori, celerique, seu *specifica*, virtute, extinguitur. Medorrhoea, quae, simplex, sine *ulcere venereo* incedit, sponte, vel sine artis auxilio plerumque, sub debita modo cautela, disperget; et a mercurio medelam certe nullam, non raro vero damnum sat evidens, agnoscit. Ab hac ipsa, vel male tractata, vel inconsulte suppressa, non paucae aegritudines descendunt; sed *luem venereum*, seu morbum

a solo mercurio, tam celeri, tam evidente successu, domandum, *viginti octo annorum* in arte medendi experientia instructi, abhinc venisse, conspeximus *nunquam*. Dolores artuum nocturnos, hoc ipso in Clinico instituto, accusabant non pauci, qui sola medorrhœa sese pridem fuisse affectos testabantur; sed *mercurio* hos dolores vel alia, quae de lue suspicionem alebant, symptomata, non potuimus auferre; mitigarunt, abstulerunt hinc inde, quae in *luem*, sola, nil possunt, alia auxilia. Praeterea in nullo veritas tam saepe medicis, quam in istorum examine, nasconditur. Foeminae, quae ulcus-genitalibus haud offerunt: in *vagina*, quo oculus non penetrat; id ipsum pati, — et sub aspetto *medorrhœæ*, *luem* viro incauto conferro queunt. Sub angusto latet interdum ulcusculum praeputio, vel latet forsitan, quin symptomata id doceant, in urethra. Vel ea, quae longo a tempore suscepta fuit, continuat, et sub recentioris medorrhœae symptomatis, huic ipsi inconsulto adseribitur, antiquior jam ista, lues. *Circulationis extra vias* jacere ad urethram in illa virus, est dictum; sed quomodo, quam tantas, tamque longas, in parte, tenuissima epidermide in-

structa, turbas, excitare videmus; resorberi non posse, non debere, dicetur materia: cum vel ipsum cuti applicitum acre *cantharidum*, licet cuticulam non elevet, resorberi, — vel osculo, vel suctione luem oris cavo inseri fateamur? Opinionem, a muco urethram, ne hic ulcera ex acri *mascantur*, defendi, vel ipsum hoc elui ac prius *excerni*, — symptomata, longitudo medorrhoeae admitti recusant. Quot non denique, vel a solo puriformis, in medorrhoea, materiae effluxu, praeputium inter et glandem, ob solius saepe munditiae in viris defectum, — vel anum inter et vulvam, in foeminis, uleera nascuntur! quae, licet de affluxu humoris iniqui continuo ex urethra testentur; *benigna* tamen indole vel paucis, solisque externis remediis jam cedunt, nec luem inducunt! . . . Experimenta quorundam, qui se, cum desumto ex ulcere venereo, et in urethram deducto ichore, medorrhoeam creasse, — vel ex materia puriformi, sub ista, per urethram stilante, et vulnere per artem inducto inserta, *ulcus venereum* produxisse docuerunt, ignorare non possumus; sed primo, minime virus venereum, in urethram advectum, vel, quod necdum conspeximus, ex corpore jam

a lue infecto, in hunc canalem depositum, *medorrhoeae venereae* aliquando producendaē impar esse censemus; et *medorrhoeam* interdum, licet casu, in quo ulcus urethrae deesse vix credimus, rarissimo, virulentam hanc indolem habere, ac luem propagandi potentia valere, nequaquam ex eo, quod hanc nunquam, sat certam, viderimus, negamus; secundo, ex paucis hac super re institutis, nec satis hucusque confirmatis, experimentis inconcussa veritas quod *ulcera benigna* frequentius sub ipsa *medorrhoea*, quin indolem *venereum* ostendant, inundentur ab ista, interfungi haud potest. Quamplurimi, qui *luem* ex concubitu acquirunt, non *fluxum* ex urethra, contagio licet maxime exposita, sed *ulcera* ad penem rebellia, ut luis praenuncia, patiuntur; et qui utroque ex malo laborant; hi saepe per mercurium a *lue*, — a *medorrhoea* nequidquam liberantur.

Quodsi vero communis et simplex medorrhoea contagio inducta, ex *aci* *sui generis* oriatur, et *venereum* rarissime originem agnoscat; oportebit et *bubonem* (§. 523.), et *epididymitem* (§. 524.), et *phimosis* (§. 525.) et *paraphimosis* (§. 526.), quae profluvi illius symptomata constituant, nisi for-

Cause
bub. epid.
etc.

sitan praesente simul venereo ab ulcere oriantur, similis esse prosapiae. Ac revera, hoc ipsum vel sola jam, quod a cereolo urethrae immisso, per merum consensum *bubones* oriri sciamus, experientia confirmat; ac altera, quod sine mercurio, ac methodo communis haec symptomata medorrhœae, quin *lues* unaquam sequatur, felicissime dissipentur, vix dubium relinquit. Ab ulcere tibiae leviori per externam violentiam inducto, mox eodem in latere bubonem inguinalem observavimus; a digitæ laesione, glandulae axillarum in tumorem durum assurgunt (§. 523.); hinc ex urethrae phlogosi ex suppressa cum adstringentibus, vel a frigore, medorrhœa, similia vasorum actione lymphaticorum contingunt. Ab istis, portionem liquidi morbosi sub ipsa medorrhœa abduci, nil obstat; sed licet hoc fiat, licet *circulationis extra leges* haerere tunc dici hoc virus non queat; nihilominus, modo ulcus venereum non adsit, *lues*, — vel bubo resolvatur, vel suppuret, si ex propria judicium experientia seramus, non sequitur.

Epididym. Nec minus *epididymitis* (§. 524.) ex solo, qui urethram divexat, stimulo, ad leges licet non semper cognitas, proficiscitur. Ab incau-

incauta spirituosorum, adstringentium in urethram instituta injectione, a frigore suscep-
pto, quibus saepe medorrhœa supprimitur,
ab equitatione, coitu, sub ipso hoc fluxu con-
tinuatis, frequenter hoc malum inducitur. Qui
testes mox a primis medorrhœae diebus su-
spensorio committunt: his rarius, ex ista, has
ad partes inflammatio succedit; sed hoc ipsum,
rem satis non explicat. Ex urethrae vasis
lymphaticis nulla cum testibus communicant;
inflammatio in urethra locum anteriores magis
occupans, in communis medorrhœa vix
deferentes semen cannales attingit; licet gra-
viori sub malo ad hos ipsos extensam sectio
pathologica monstraverit. Cum parvo in ure-
thra sub urina mittenda ardore, sat longo,
priusquam signa medorrhœae sequerentur,
tempore, hunc se morbum manifestasse con-
speximus. Post suppressum in illa proflu-
vium, saepe dolor, inflammatio in urethra,
quamvis tumor circa testiculum nascatur,
non urgent; restituto interim profluvio hic
ipse tumor facilius dissipatur. Videtur hinc
solus urethrae ab acri, vel a stimulo mecha-
nico, irritatae, cum testibus consensus hoc
mirum symptomata explicare; nec certe vene-
ream hic morbus frequentius, quam ipsa

medorrhœa, indolem agnoscit. Vel a sola urinae retentione, et stranguria qualicunque, testiculos, cum dolore, tumuisse, ac illis dissipatis, subsedisse, observationes docuerunt. Ex mercuriali unguento potiorem, quam ex aliis exterius adhibitis, effectum non vidi mus; nec *lues* hoc ex malo, nisi ulcera praecessissent, oriri conspeximus.

Phimosis.
paraph.

De phimosis (§. 525.), paraphimosis (§. 526.) natura idem dicendum est. Nascentur hi morbi ex quovis, tum glandi, tum praeputio, vel utrisque, applicito stimulo, per violentum, vel et naturae contrarium, congressum, per fraenuli sub concubitu laesionem, per acre quodcumque hic loci collectum, receptum, depositum. Saepe ulcus venereum, ut causa, hic latet; frequentius sola impuritas, ac puriformis materiae, sub medorrhœa glandis, praeputii, urethrae profluentis acredo haec symptomata, — interdum ulcera superficialia, benigna producunt; quae *lues* non magis, quam ipsam, quae simplex est, medorrhœam, insequitur. Ex phimosi violenter post glandem reducta, paraphimosis non difficulter exoritur.

Nec alia est fluxus puriformis, mucosus ex ano (§. 530.), vel medorrhœae externæ

(531.) natura , et causae prorsus similes haec mala producunt . Ex suppressa medorrhœa vaginali , mulierem ad anum eodem morbi genere affectam fuisse novimus .

Chronicae medorrhœae (§. 532.), pudendorum plerumque debilitas , cum morbosa his in partibus *sensibilitate* , pro fundamento est . Universi interdum debilitas systematis , et quae istam inducunt , inertia corporis , victus parum nutriens , viscidus , pinguis , aquosus , potuum , balneorum tepidorum abusus , athmosphaera humida et frigida , laxa fibrarum a nativitate constitutio , haemorrhagiae aliaeque evacuationes , morbi , vim vitae frangentes , praegressi , labor nimius , animi pathemata deprimentia , somnus diuturnus , hoc ad profluviū disponunt . Interim , nisi major his , genitalium se jungat *laxitas* , et innixa huic ipsi peculiaris *sensibilitas* ; vix fluxus , de quo agimus , ex sola totius debilitate , orietur . Ubi stimulus sat longus genitalia vexavit , et impetuoso humorum affluxu , vasorum robur infractum , nervorum sensibilitas adaucta sunt , haec ipsa , ut secretio morbosa minori sub stimulo , quem congestio humorum suppeditat , in longius tempus continuet , jam sufficit . Sic praegressa medorrhœa acuta , vel

Medorrh.
chrom.

male tractata, vel ob diaetae errores protracta, vel pluries renovata, in sexu utroque, sub valido licet totius systematis robore, in chronicum ac rebelle frequenter mutatur profluvium. Ex sola urethrae virilis, per phlogosin praevia*n* quamcunque, inducta, certis in locis, *angustia*, — post istam, urinae alludentis, vel calli comprimentis a stimulo, chronica medorrhoea provocatur. Ex *ulcere* interdum, licet rarius, profluvii istius origo est. Quae vim uteri vel maxime infringunt, ac majorem hac in parte sensitatem relinquunt, abortus, partus praematurus, difficilis, aut in tenera aetate sibi nimis vicinus ac frequens, placentae extractio violenta, veneris abusus, masturbation, haemorrhagiae uterinae, aut vasorum hujus visceris, a menstruis suppressis, nimia dilatatio, potissimum chronicae medorrhoeae causam largiuntur. Sed nihil sensitatis perversae hoc in morbo actionem tam manifeste, quam fluoris albi, menstruorum instantे, vel declinante periodo, incrementum, demonstrat. Hoc quidem phoenomenon, alii vasorum systematis uterini sanguineorum in uterum patentium, auctae tunc temporis, nec tamen sanguini transmittendo adhuc satis capaci diametro attribuunt; vix

artem aliam muci ex utero, vagina, quam ex sexus utriusque urethra, eodem certe sub morbo stillantis, suspicamur esse originem; nec tam mucosae, quam puriformis est indolis, quae hic funditur, ac levi sub phlogosi, menstruorum impulsu in foeminis periodice renovata, ex integra partis affectae superficie secernitur, non ex sanguine, jam facia, propellitur materia. Hinc ex stimuli augmento, quod menstrua periodus ad uterum inducit, chthonicae hoc in sexu medorrhœae periodicum incrementum, — nec aliter, quam illud, quod ex coena lautiori, ex potu spirituoso, ex solo corporis exercitio majori, ex repetito concubitu, utroque in sexu aequaliter succedit, derivandum est. Eodem fere modo depositum ad uterum non gravidum, ad vaginam, urethram, vel ad anum, acre rheumaticum, herpeticum, scrophulosum, vel aliud, si visceris debilitas praecesserit, aut morbi diurnitate inducta sit, rebelles ex istis fluxus, qui stimulante alias in partes conjecta materia, illico dissipantur, ac aliorum haud raro *crisis* morborum sistunt, inducit. Hinc ex dispersis, ut diximus (§. 514), coryza, catarrho bronchiorum, vel et asthmate, impetigine, ulceribus chronicis,

sudore pedum, axillarum, sat saepe medorrhœa in foeminis, — et hac ipsa, cum repellentibus, incaute suppressa, vel pristina iterum salutis incommoda, vel pejora, ascuntur. Quae vero sanguinem copiosius, quam par est, ad uterum cogunt, vel alieniunt, et congestionibus hoc ad viscus viam sterount: ea, vasorum his in partibus tonum infringunt, ac sensibilitatis simul morbosæ rationes adaugent. Huc spectant in primis vestes, seu thoraces, quibus foeminae a tenera juventute utuntur, arctiores: ut quorum actione mechanica, crux, corporis superficie sat ampla, et visceribus pectoris, abdominis, non parum compressis, pelvis ad vasa nimis urgetur; lectio librorum libidinem excitant, praematura matrimonia, negatum uteris fertilibus conceptionis partusque, salutare quamplurimis, officium, — crurum, genitalium noxius, per *carbones accensos*, vel *turbam*, ut vocant, infensam nervis uteri mephitim spirantes, suppositos, vel per balnea tepida fatus frequentior, — arcta nimis, aut rarius renovata fasciarum, quibus menstruo sub fluxu genitalia circumdant, applicatio, ac sanguinis in vagina collectio, stagnatio, — crux, a puerperio, natura sic

jubente, ait *mammas* ruentis, lactisque fontes
aperientis, violenta, in pueros inhumana,
his a glandulis aversio, et ad uterus, his,
lege consensu, adeo affinem, a partu viri-
bus exhaustum, revulsio, — lochiorum ma-
jor, hoc ipso denegatae lactationis ab opere
inducta copia, diuturnitas, — partus partum
insequentis, pendens iterum hoc ipso a vi-
tioso conainine, nec igitur civium numero
favens acceleratio, — remediorum, quae
emenagoga dixerunt, aloeticorum, irritantium
abusus, — uteri, vaginae descensus, pro-
lapsus, — pessariorum, ob ipsa haec mala,
gestatio diurna. Sed in primis vestium mu-
liebrium, quibus hiberno sub gelu fere iis-
dem, ac sub servida aestate, utuntur, tenui-
tas, et crurum, regionis uterinae ab aura fri-
gidiori, *caligarum*, quibus *Aiae* mitioris foe-
minaे prudenter utuntur, defectu, neglecta
custodia, reprobandaе hic veniunt. A cutanea
transpiratione suppressa, nisi renes mox sup-
pleant, diarrhoea frequenter descendit; ac
sub uteri systemate jam infracto, facilis est
serosi ac suspecti humoris hanc ad partem
conversio. Non raro ex frigore genitalibus
admisso, fluor albus, quasi verus *vaginae ca-*
sarrbus inducitur: qui, saepius repetitus, chro-

nicae medorrhoeae excitandae non est impar. Interdum et aliae hunc morbum causae, spinae vitia lumbalis, ac istius, vel et uterinae regionis, contusio, concussio violens ab ictu, casu, quibus uteri quaedam, ut aliis a causis, paresis inducitur, inferre videntur.

De profluvii puriformis ex ani vitio locali pendentis causis jam diximus (§. 530.), *Haemorrhoides*, ut vocant, *albae*, non ex vasis hoc nomine instructis, sed ex stimulo per varices inducto, ac per phlogosin intestini recti superficie, ac folliculis mucosis hujus loci illato, propullulant. *Pollicaris* ab *ascaridis* numero majori ad rectum nidulante, frequenter hoc, stimulum, tenesmum, et aetam muci puriformis secretionem experitur. A praegressa dysenteria diuturnus saepe stimulus intestinum divexat, ac puriformis prolabitur materia.

Externam medorrhoeam (§. 531.), major genitalium, apud viros non minus, quam apud foeminas, ioprimit a menstruis absolutis, impuritas, — in parvulis subinde *ascaridum pollicarium* ad vulvam ascensus, ac inducta ex istis continua irritatio, genuerunt.

§. 534. Varii, quos magna jam parte ex. *Prognosis;* posuimus (§. 510. — 532.), nec ab illis, qui alias inflammationes sequi noscuntur (§. 126.) diversi, *medorrhoeae acutae* sunt exitus. Frequentissime haec ipsa *resolvitur*; aut in fluxum pertinacem, contagio carentem, seu *chronicam medorrhoeam*, convertitur. Rarior *suppurationis*, nisi male tractati, neglecti, hujus morbi, eventus est; ac licet illa sequatur, nisi virus *venereum* inflammationem generaverit; hujus indolem nequaquam sponte assumet. Interdum, quamvis rarius hoc fiat, sub stadio medorrhoeae inflammatorio, quod in genere majoris hoc in morbo significacionis est, accidente in primis novo, ex spirituosis assumtis, ex celebrato concubitu, masturbationis commisso vitio, alioque stimulo fortiori, *gangraena* penis succedit. Quae, inflammationis ob summam violentiam, fere *siccata* est, urethrae affectio: ea, majori, quam si plurimum efflueret, periculo stipatur; sed *siccata* conspeximus, licet valde ardentem, per sex fere hebdomadas extensam, quam nulla periculi indicia circumdabant, medorrhœam. Non ideo, si multum puriformis, contagiosi liquoris ex urethra distillet, quod virus susceptum promptius *eliminetur*, — sed

quod minor inflammationis sit impetus, citius
hic morbus absolvitur. Contagii principia,
ab initio modo unica forsitan humoris in-
fensi guttula, per urethrae ostium (ut semi-
nis, a coitu cum muliere menstruis correpta,
sanguine, ipsa virili in urethra, tincti exem-
pla docuerunt) suscepta, secretiopem mor-
bosam, qua idem contagium copiosius, quo-
usque phlogosis continuat, evolvitur, indu-
cit. Nec finem, quo ccesset hoc ipsum, sat
certum, nisi omnis jam in urina emittenda,
vel ejuculando in semine calor et ardor ure-
thrae disparuerit, erectiones violentae, do-
lentes, cessaverint, indicari, — nec humo-
rem, qui effluere continuat, licet aliqua ex-
istis supersint, cum certitudine virulentiae
accusari licebit. Non raro haec phlogosis ure-
thram, maxime virilem, certis, pluribusque
interdum in locis, inaequalem, duriorem, cras-
siorem, et quasi callosam, cum diametri illius
decremento, tortuosam relinquit. Hoc ure-
thrae sub statu, lotium difficulter, aut tenui,
ac in plures diviso rivo, aut guttatim, pree-
missa puriformis, et post locum obstructum
collecti, liquoris portione, exprimitur. Nunc
fere continua sunt haec obstacula, et certis
temporibus, minora, post corporis exercitia

violenta, equitationem in primis, ac potuum spirituorum, veneris post abusum, majora, — nunc, *spasmodicae* magis naturae, in totum sat diu, ut videtur, sublata. Sub majori hunc ad canalem impedimento, urinae fluxus in universum, et cum vitae periculo, nisi citius auxilium feratur, supprimitur. Plerumque haec urethrae vitia post repetitas, licet minime fortiores, medorrhoeas, non modo ad *bulbum*, quo loco phlogosis primariae sedes haud fuerat; sed et plures post annos, comparent, et difficilem propriae originis explicationem efficiunt. Interim in multis, a medorrhœa acuta, frequentius, ut ex symptomatum silentio appareat, dissipata, nihilominus major urethrae sensibilitas, et in pristinos affectus, vel minoribus, ac minime contagiosis, ex causis, promptitudo se prodit: et sub ista, *phlogosis chronica*, vix dolens, et *occulta*, ut in oculis, ac ipsis in bronchiis apud dispositos ad phthisin homines, non rara est, frequentius, quam ipsi animadvertant aegroti, subesse, — per universum canalem ad bulbum, ipsamque ad prostatam, et collum vesicae, lente extendi, — telam cellularem, quae urethrae membranam mucosam exterius laxè circumdat, non mi-

nus, quam illam, quae vasa prostatae in glomerem coadunat, lympha coagulabili infarcire, — ac tandem callosam harum partium duritiem, non aliter, quam *chordam* a medorrhoea acuta relictam, *chronicam*, in aliis, inducere videtur. Hanc genesin, prompta semper loci penes callum haerentis, ad phlogoses natura confirmat, et abscessuum spatii illius, ac in prostata, mole saepius insigniter aucta, frequentia ostendit.

Haec prostatae a pluribus certe causis pendens, sed post multiplices medorrhoeas acutas, urethrales, licet multos ab illis post annos, apud senes frequentior, durities, ex eo, quod, vel uno, vel utroque ex latere, urethram distrahat, comprimatque, fere perpetuas urinae difficultates, suppressiones frequentes, discritine plenas vesicae nimis dilatatae paralyses, ac fere eadem, quam ex calculo vesicae, symptomata inducit. Portio hujus glandulae, quae ad urethrae ex vesica egressum, ac loco posteriori est posita, tumefacta, vesicam versus assurgit, hujus ostium obturat, atque, ut aliorum observatio, ac aliquae hoc in museo pathologico Ticinensi conservatae ex cadaveribus virorum vesicae docent, hujus visceris in cavum altius et ad

Sainth abs.
prostatae

evi anserini magnitudinem interdum, — lotii non modo egressum ex vesica, sed aliquando et descensum per uretheres in istam, praepeditura, — vel et ostii vesicalis, ne claudi quavis ex parte possit, et hinc simul urinae incontinentiam, productura, ascendit. Alias, uno ex latere magis tumida, scirrhosa *prostata*, vel et *seminalium vesicularum*, quos iterum hoc in *museo* utroque ex latere vesicae, magnos, possidemus, *scirrhi*, vesicam exterius ac lateraliter comprimendo, similes effectus producunt. Vel ad recti intestini confinia extensus glandulae tumor, docente cereolo, atque digito in anum immisso, sub perpetua in perinaeum pressione, ac sub tensione, dolore ad urethrae radicem constante, ingressu difficiili, hoc ipsum coarctat, faecum has per vias descensum intercipit, vasorum haemorrhoidalium infarctus, tenesmum ac ani medorrhœam rebellem creat. Crescunt hae miseriae, quotiescumque nova phlogosis tumori se jungit: qua saepe lenta suppuratio, abscessus hanc ad glandulam insignis, vel plures, minores excitantur. Hi abscessus omnem urinae defluxum nunc supprimunt; nunc, ostio vesicae distracto, homine nolente, partin effluere hanc sinunt;

nunc sponte vel in urethram , vel in rectum intestinum , vel in spatia huic ipsi et vesicae intermedia , vel per sinus fistulosos in perinaeum , aperti , licet lotio interdum pristinas per urethram vias aperiant , mox novo ichore repleti , pristina symptomata reducunt ; vel , fistulis cum urethra , et cum ipso perinaeo , scroto , vel recto communicantibus , urinae simul et ichoris his ex partibus , apertura vel unica , vel multiplici , effluxum foedum , et gangraenas generantem , inducunt .

Coeterum , incerta est satis medorrhoeae acutae , vel mitis , vel fortioris , quoad morbi durationem exitumve , prognosis . Sub leviori phlogosi , diuturnior saepe medorrhoeae decursus , — sub paucioris materiae effluxu , major , ne ad urethram callosa succedat durties , metus est ; ac saepe , qui parum sub initio urgebat , morbus aegrotantis , Medici , vel causae ignotae ex culpa , cum discrimine inopinato augetur ; saepe alter , a principio ominosus , sub recta vivendi medendique ratione , brevi tempore fugatur . Sub optimo , ut appareat , rerum successu , timor est , ne chronicam hic fluxus , facile leviores per stimulos revocandus , naturam assumat . Apud foeminas , ob majorem sensibilitatem , laxio-

rem partium ob habitum , ob irritationem a menstruis periodicam , frequentius , quam in viris , haec ita succedunt . Constitutio corporis laxa , debilis , sensibilior , scrophulosa , vel alio ab acri frequentius vexati , adultiores jam homines , prae aliis , ex medorrhœa acuta , in chronicam labuntur .

Sub *chorda* (§. 522.) , ubi penis validius erigitur , non rarum est , sanguinem ex urethra effluere : quo saepe profluvio , illud morbi symptomata quamplurimum imminuitur .

Bubones ex solo *consensu* venientes , resolutionem vix non ubique admittunt . Qui ex resorpta simplicis medorrhœae materia oratum , *idiopathici* , sumserunt : hi , sine luis periculo , revolvi queunt ; ac si forte suppurent , non aliter , quam abscessus in parte glandulari , qui lentiorem quidem , pro ratione inflammationis , sed felicem plerumque curationem admitunt , considerari merentur . Difficilioris curationis est , qui cum scorbutica , scrophulosa diathesi incedit , ac facile in ulcus mali moris mutatur , *bubo* . Quem *ulcera venerea* , non ob solum consensum , sed , paulo tardius , *idiopathicum* , producunt , *bubo* , hic luem certe indicat , ac inducit venereum . *Secundarium* , ex lue confirmata ve-

Bubom.

nientem, sine ulcere pudendi, bubonem non vidimus. Bubones, qui resolvi, suppurare re-eusant, *scirrhosam* aliquando, remedis rebellēm, — et hoc rerum sub statu, interdum malignam, *carcinomaticam*, sub cruris, cui respondent, tumore aquoso, motusque jactura, indolem assumunt. Similia ad *testes*, sub medorrhœa acuta, ad epididymem in primis, inflammatos, nec benigna, saepe lenta, resolutione liberatos, in quibusdam contingunt, tumorque scirrhosus interdum funiculum spermaticum fere integrum infestat. Quibus semel, ex medorrhœa acuta, testes tumuerunt; his faciliter ex novo contagio hae partes inflammantur. An cum jure sit dictum, testiculorum ex hoc contagio duritiem in *carcino*. *ma* *nunquam* abire: de hoc quidem dubitamus; sed exemplis sat certis, ac propriis destinati, contrarium defendere non possumus. Febre *nervosa*, lethali, vetustum testiculi tumorem fere integre disparuisse, observatio habetur. De *phimosis*, *paraphimosis* periculis jam satis monuimus (§§. 525. 526.). Concretio praeputii cum glande, in prima existis, lubenter succedit, ac penis erectionem, concubitum fere impedit. Factam interim, a tribus jam septimanis, praeputii concretionem

cum

cum parte glandis laterali, per injectiones, solvere nobis licuit. Utroque in malo, praeputii, — in paraphimosi, ipsius etiam glandis, gangraena timenda, et ex maculis sublividis, nigris, ex vesiculis sero similis coloris turgescientibus, praevidenda est. Rarior est, sed exemplis non caret, bubonis in *gangrenam*, quam haemorrhagiae subinde praecedunt, comitantur, mutatio.

Difficilioris curationis est *chronica*, tum *Medorrhœa* illa, quae ex acuta, contagiosa, descendit, tum altera, quae *fluoris albi*, apud foeminas, sub nomine venit (§. 532.), ac *habitualis* jam redditæ est, *medorrhœa*. Augetur difficultas, cum, praeter pudendi laxitatem, sensibilitatem morbosas, — vel totius languor systematis, atque prona in spasmodicos affectus dispositio, — vel scrophulosa, scorbutica, arthritica, rheumatica, impetiginosa constitutio accedat. Si forsitan vitium organicum, si polypus, rectionem non admittens, aut si major arte humana scirrhus uteri, recti intestini, vel prostatæ, stimulo, compressione, pudendorum secretionem morbosam inducant: tunc prognosis illorum, et illam chronicæ medorrhœæ, plerumque infastam, constituit. Praeter frequentem mulierum hoc

profluvio laborantium *sterilitatem*, si forsitan conceperint, frequentes, ex causis non magnis, *abortus* patiuntur. Quae urethrae *ex callo*, angustatione, *popullulat*; — haec, chirurgicis auxiliis, novae inflammationis, et aucti effluxus beneficio, dissipata duricie, interdum dissipatur medorrhœa. Non parva interim profluvii, licet morbosi, cui natura jam dum assuevit, habenda est ratio; atque eodem, citius, quam par est, per artem superpresso, frequenter incommoda salutis majora, ut videtur, non ex ipsa, cessantis tunc, effluxus materia, alias in partes deposita, — sed stimuli assueti, cum parte alia, affinitate, communicati, ignotas ad leges (§. 374.) nascuntur. Hinc variis a morbis foeminas, medorrhœae hac a specie *praeservari*, tum hoc quidem sensu, tum eo, quod latens morbi alterius materies ad uteros ferri consueta, profluvium hic excitet, minus illo incommode, — vel quod causae morbi antiqui, quasi per *fonticulum*, pars aliqua quotidie diffletur, non ubique tam absurde a vulgo contenditur. Non rarum est, diurnae medorrhœae difficultem vaginae, vel uteri ipsius *prolapsum*, — ac tandem plenas discrimine *eruoris* hoc e viscere jacturas accedere.

§. 335. Cura medorrhœæ, in genere, a Cura generali causarum, sedis, temporis, symptomatum ratione dirigitur. Desideranda, nec ficta pietate arcenda forent, si certiora, quae contagiorum medorrhœæ, vel et luis ipsius, potentiam delerent, nossemus, auxilia. Res, in Europa, sub tanto Populorum cum Exteris commercio, perardua, nec legum subjecta imperio esse videtur proposita a quibusdam, sed soli forsitan tempori reservata, utriusque veneni *destructio*. Major interim in illas, quae corpore quaestum in Republica faciunt, Magistratus attentio, — Virorum, qui uxorem, quam possent, ducere recusant, minorem in Civitatibus ad numerum reductio, — subministrata celeriter infectis, tacita, et gratuita, pro miseris, subsidia, infaustos virus tam late diffusi per Provincias progressus ubique non parum fraenarent. Quod ab impuro concubitu contagium utrumque certius averrat, vel, susceptum, mox corrigat, delectaque, adhuc quaeritur remedium; summa interim partis contagio expositæ, nec protracta in longum, mundities, et genitalium, ad ultimos recessus, cum liquido, ne tempus perdatur, quocunque, inprimis cum sapone, purgatio, vel instituta, illius sub defectu,

cum pulvere quovis absorbente aspersio, — lotii, mox a concubitu suspecto emissio, — cauta tepidae, vel aquae calcis, in urethram, vaginam, injectio, pericula quodammodo imminuunt. Securos non reddit viros, mulierium, attentum licet, cum ad vaginam hoc extendi non queat, examen. Illorum urethra, vel sponte, vel anterius compressa, si dolorem manifestet, aut ploret, si rubeat ad ostium, nisi morbi alii, contagii insontes, forte praecesserint; concedendi amplexus id satis indicabit pericula. Post praevium, qui suspectus est, congressum, quin justum symptomata timorem adhuedum confirment, ab omni tamen cum sanis intimiore commercio, quod adhaerens pudendis externis, internis, virus, sine hominis infecti morbo evidenti, sese facile communicet, abstineatur oportet. Coeterum ab illis, quae universum sistema, vel in primis quae pudenda stimulare, quae sanguinis ad ista affluxum provocare, vel quae urinae acrimoniam augere possent, sibi caveant aegroti. Necessaria in viris est testium, seu scrotri, mox a morbi initio, suspensio. Frequentius humor, qui effluit, vel, sub longiori, et angusto praeputio collectus, id ipsum, vel glandem stimulat, exulcerat, tepido cum lacte abluitur, vel injecto simili,

vel aquoso liquore educatur oportet. Decubitus in dorsum mollior, pollutiones in viris nocturnas excitare, — in foeminis, virulenti, corrosivi humoris defluxum ad anum, cum damno dirigere consuevit. Positio coxarum declivis, materiae, supino corporis subitu, in vagina stagnantis, effluxum promovebit.

§. 536. Nullibi auxiliorum tam ferax est, C. med. z.c.
 quam ubi morbi vel *sponete*, qualicunque, non prorsus contraria, sub methodo, solvuntur, Scriptorum ingenium; atque hinc tantae in medorrhœa, de qua loquimur, curanda, — quin ideo morbi magis pateat indoles, aut quibus certo ille vix indiget, divitiae! Quam, *venereo* sine ulcere, contagium induxit, — ea, sub recta vivendi ratione, non minus, ac aliae, quas insons forte stimulus invexit, medicae sine artis subsidio, vel a sola natura, perfecte, quin *lues* timenda sit, vel in plurimis, persanatur *acuta medorrhœa*. Prout virus istius natura, — sic et verum, quo extingui mox posset, antidotum, nos latet; et quæ forsitan, primis a concubitu suspecto diebus instituta, medorrhœam illico et in cunabulis jugulasse legitur, — ea, vel modo animi, cb suscepti

contagii timorem agitati, ac, ut sibi facile persuadet, jam sensu pruritus, caloris in urethra, vagina, multati, curas demulsisse, — vel, quaecunque demum fuerit, saepe magis venenum his e canalibus *eluisse*, quam in istis *subegisse*, *suffocasse* videtur, *injectio*. Non raro nimios illorum, qui se in contagii pericula incurrisse accusant, timores nutriendo, vel methodi adhibitae laudes immodicas decantando, — si non lucri cupedinis, aviditatis, — saltem levitatis, inscitiae, suspicio movetur. Sunt interim aliqua, nec certe spernenda, quae fortiora mitigare medorrhoeae symptomata, quae pericula avertere, et quae saepe breviorem morbi decursum reddere queant, artis praesidia.

Praeter illa scilicet, quae a suspecto concubitu facienda, evitanda esse docuimus (§. 535.), oportet nimiam partis a viru, aut alio a stimulo correptae, irritationem, inflammationem, et, quae ex vitio locali, vel alibi per solum consensum descendunt, symptomata compesci; oportet morbi effectus, qui chronicam inducere medorrhoeam minantur, praeverti.

Per injectiones.

Quamprimum igitur, stadii, quo morbus hominem ex contagio *invadit* (§. 521.),

symptomata comparent, non pauci, et eximii inter hos Viri, praeditos virtute, aut *stimulante*, aut partis infectae mucum *solvente*, aut nervorum illius sensum *obtinidente*, aut denique irritata in ejusdem superficiem *defendente*, liquores, per siphonem huic operi idoneum, tepide, frequenter, et caute injiciendos prescribunt. Ut, quid nos ipsi sentiamus, fateamur, quaecunque sub *acutae medorrhoeae* principio, et inflammatorio sub stadio, in urethram pelluntur, res, ejusdem a sensu naturali alienae, — licet sapor id linguae haud indicet, irritantium effectus hic edunt; ac nulla, quam intensionis ad gradum, intercedit differentia. *Stimulantium usus*, aut hypothesis, qua, per auctam ab illis muci secretionem, et nunc demum contagium posse ablui, expelli, — aut alteri, qua factam a viru irritationem huic propriam, per aliam, ab ista diversam, posse protinus deleri, sibi promittunt, innititur. Quid de virus suscepti, per auctum ex urethra effluvium, eliminatione sentiendum sit, jam supra (§. 534.) docuimus; et quamvis facta per artem *secundaria* irritatio, *primariam* interdum posse auferre videatur (§. 375.); vix tamen hoc ipsum in casu suscepti indomabilis *contagii*, locum

inveniet. Vel ipsi hujus methodi fautores, irritationem artificialem, nimis exiguam, vix agere, — majorem, quam par sit, nocere fatentur. Quis igitur, sub tanta sensus in urethra, sub diversis temporis intervallis, inconstantia, — sub tanta in variis hominibus irritabilitatis urethralis differentia, vel praescribendae arbitrio *formulae*, vel solius, quae idem non eodem semper modo sapit, *linguae* judicio, irritationis gradum facienda sat certo docebit? Quis impetum, quo liquorem in urethram propelli deceat, ac illius quantitatem, vel satis ut penetret, vel ne stimulo nimis aucto officiat, probabili conjectura indicabit? Quis curationis, vel a chirурgo, rerum satis experto, labore per horas repetendo, absolvendae, patentia in vulgum, incommoda, — vel si res ipsis, tam variis, aegrotis committatur, laesionis pericula, incensum non vocabit? Quis denique tempus, quo ab injectione, vel inutili, vel noxia, oporteat desisti, sat aeque definiet? Plura tamen, hunc in finem, pro injectione adhibita fuerunt: inter quae, praecipuae sunt, solutiones vitrioli martis, cupri, zinci, aeruginis, ammoniaci salis, olei terepinthinae, balissami alterius. Ex mercurio, variis sub formis

injecto , aliqui efficaciam , quam nec ipsa in
lue , nisi jamjam evoluta , agnoscit , specificam ,
quaesiverunt . Qui virus venereum a muco
perpetuo involvi , vel aliter , contagii poten-
tiam deponere contendunt : hi certe , suppa-
sita etiam venerea medorrhoeae communis
natura , veneni in superficiem folliculosam
effectum , pro causa habuerunt . Nec *acida* ve-
nerei virus indoles sat firmis argumentis , ut
ex *alkali* caustico , ex *lapidis* caustici , vel
demum aquae calcis ex usu , quae utrumque
in fine adhibent , spes magna virtutis afful-
geat , innititur . Qui artem destruendo con-
tagio imparem agnoscunt : hi saltem nervos
urethrae , vaginae , ut minus sentiant , cum
calcis plumbi , ex aceto solutae , — vel opii ,
aqua distillata dilutorum auxilio , obtundere
satagunt ; et conspecta , istius inprimis , in
chronica ophtalmite virtus (§. 154.), huic
satis opinioni suffragatur ; sed in *acuta me-*
dorrhoea , vix aliter opium , quam stimulum
augendo , operatur ; atque tam parum ex re-
medio , in urethram injecto , hic loci , vel
tempore brevissimo , retinetur : ut liquori in-
jecto , quae interdum hunc sequitur , sympto-
matum mutatio , vix queat adscribi . Qui
urethram defendit mucus , hic alio vix un-

quam, sine stimulo manifesto, suppletur, viscoso, quod vix penetrat, aut satis urethram oblinxit, medicamine.

Quae interim hucusque injectionibus opposuimus dubia: ea, ad negandas clarorum Virorum experientias nequaquam movemus. Nostrum sat raro ab aegrotis, sub primis *medorrhoeae acutae*, jam certe praesentis, initii, expetitum fuit auxilium; et quoties hoc ipsum novae methodo favebat: toties, quod coeterarum nos phlogosium cum injectionibus tractatarum analogia docere debuisse, poenituit consilii. Sed ut cautos vos reddere, ut nimios multorum hoc in morbo, tam communi, curando ausus, quoad rationes id possunt, fraenare, daretur; *experientiae*, ad quam toties, qui experiundi scientia haud pollut, appellant, in medicina fallacias et hic morbi tetigisse, non credidimus inutile.

C expser. Nos igitur, qui *tutiorem*, quodammodo licet longiorem, *breviori*, sed facile anicipi, curationem praferimus, acutam sibi ipsi relinquimus, medorrhœam; ac modo symptoma istius, si forsitan nimis urgeant, moderari curamus. Ad victum quod pertinet, modo febris si desit, consuetum, sed a rebus irritantibus, aut difficulter subigendis alienum

concedimus. Quae sale abundant, ea, quod urinae ardorem mox augeant, evitari oportet. Pro potu, aquam, eamque, ne pauca, et hinc acrior, urina urethram offendat, sat multam, propinamus; sed nimia, aut gravi stomacho mucilagine saturata, quod haec, in sanguine mutata, ad urethram non veniat, potulenta reprobamus. Si vino assuetus sit aeger, nec multum irritabilis videatur, nec febricitet; hoc ipsum, portione moderata, ad prandium, concedimus. Alvum, nisi sponte apertam, clystere emolliente quotidie movemus. A motu fortiori, equitatu, saltatione, contrectatione, refrigerio, compressione genitalium, a lecto molliori, a sexus alterius, lasciviam excitante, consortio, ab animi pathemate majori, abstineant aegroti. Effluentem ex urethra materiam cum tepida, aut lacte subcalido, frequentius abluant; aut, quibus longius, angustius praeputium impedimento est, injectione, qua et mulier vaginam repurget, simplicissima, bis, terve in die, utantur. Urinam, nisi satis recollectam, quam minus frequenter id possint, emittant.

Si febris accedat, et, in homine robusto, plethorico, inflammatoriae naturam assumat; detracto mox vino, et ciborum quantitate ac

indole mutatis, venaesectio, antiphlogistica sine sale aut nitro, tamarindorum decoctum, indicantur; sed rarer istius, sub dicto regimine, necessitas, — ac in corpore debili, gracilique, manifesta satis a sanguine detracito damna, sensibilitatis adactae effectus, comparebunt. Sub magnis pudendorum tensione, calore, dolore, cataplasma anodinum cum laudani portione, vel et balnea tepida, tum corporis dimidii, tum in primis localia ex lacte, vel malvae decocto, usurpentur frequentius. Si ob spasmi magis, quam inflammationis vehementiam, ex urethra nil effluat; ex opio medicina petenda est. Si major verendorum inflammatio id jubeat; hirudines, peni, ad locum dolentem, ad perinaeum, vel ad labra muliebria ponantur. Saepe interim has turbas, erectiones dolentes, spasmodicas, pene quidquam ad inferiora depresso, opium, ad noctem porrectum, — ac si corporis debilitas, sensibilitas morbosa subesse videantur; si tenuis ac diaphana materies ex urethra distillet, ac pulsus frequentes, contracti tangantur; corticis peruviani decoctum, cum tincturae thebaicae portione, dissipabunt. Interdum clyster emolliens cum opio injectus quam optime conducit. Fortiora alvum hoc

in morbo purgantia, quae urinae difficultatem, ac singula symptomata mox augent, cane pejus fugienda sunt.

§. 537. Nec aliter symptomata, quae sub ^{Chordae.} stadio medorrhoeae inflammatorio emergunt, praepediri, tractari merentur. Ad penem *incurvum* (§. 522.), cataplasma emolliens, hirudines ponenda sunt, vel et opium liberaliter interne porrectum conduceat. Sub dolente ac violenta penis erectione, *priapismo*, princeps in *opio* est positum remedium.

§. 538. In bubone (§. 523.), cui *ulcus venereum* non subest, curando, ad stimuli, quo inducitur, indolem respiciendum, et hic ipse tollendus est. Suppuratio tumoris glandulosi, ut inutilis, taediosa, ac foedam cicatricem inducens, quovis modo praecavenda, et bubonis *resolutio* tentanda sunt. Si fortior ad urethram inflammatio hunc generet; tunc illi, ad methodum praescriptam (§. 536.), succurendum est. Si forte spasmodica ad urethram affectio stimulum cum inguine communicat; tunc ea, quae ad istum commen-
^{Bubon.} davimus (§. cit.), in subsidium vocentur. Si forsitan suppressus ex urethra, vagina,

materiae effluxus, hoc malum induxit; tunc, suppressionis pro causa, vel inflammatio in illis arcenda, vel spasmus tollendus, vel ope cereoli, pessarii, secretiones morbosae revocandæ sunt. Sub incipiente glandularum inguinalium affectu, praemissis praemittendis, rasisque hac in parte pilis, frigidam applicari conducedet. Sub inflammatione jam proiecta, fortiori, si venae sectio instituta sit, aut minus indicetur, hirudines parti bubonibus vicinae applicandæ sunt; vel cutis tensa ac rubra scarificanda est leviter. Post haec auxilia, mitiori sub malo superflua, cataplasma ex lacte et pane, nec tamen nimis calidum, sub die, — ad noctem vero, ob metum refrigerii, emplastrum gummosum, continuo tumorim imponenda sunt. Sub vehementi, spasmodicoque dolore, folia hyosciami, cicutæ, in pulvere, aut opium cataplasmati jungenda sunt; ac ad noctem ex opio medicina portigenda est. Ab emeticis, in bubonum curatione, ut in aliis inflammationum speciebus, licet aliqui laudaverint, abstinemus. Nec *inguento mercuriali*, quod cruris, quo ex latere bubo est, parti internæ illiniunt, sed quod modo venereæ metus infectionis adhiberi consuluit, hic opus

est. Si tamen, sub tardiori bubonis, vix calentis ac rubri, ingressu, aliquo, ad promovendam resolutionem, stimulo indigere videamus; tunc linimentum volatile, vel mercuriale, quod hic specificie non aget, unguentum, possunt indicari; sed facilius hunc finem, victus abundantioris, vini concessi, et levis frictionis ad inguen institutae, decocti corticis beneficio obtineri licebit. Interdum, quod et nos conspeximus, vicina bubonis suppuratio, ac purulentae fluctuatio materiae jam tactu distingui videtur; quae tamen signa, quin tumor felicissime resolvatur, subinde haud impediunt.

Si bubonis *suppuratio* evitari non queat; in ea rite pertractanda, ad regulas (§. 234.) praescriptas respiciendum, et nunc vires totius systematis, vel modo partis, erigendae, nunc vero moderandae sunt. Lentior est suppurationis in glandulis progressus; ac melius plerumque naturae, quam arti, nisi cutis tenacitas hoc jubeat, committitur abscessus divisio. Tunc vero vel ferro, vel causticis haec fiat, modo plenam abscessus maturitatem acquisiverit, nil interest. Si pejor hic suppuratio sub aegrotantis debilitate, continet: saepe cortex, vinum, lautior victus, —

vel, si dolor violens accedat, opium, huic remedio junctum, conducunt. Coeteras in abscessu, vel ulcere bubonis curando cauterias Chirurgia vos docet. *Mercurio*, ut specifico, hic nunquam, nisi lues simul, ex ulcere, accesserit, indigemus; sed in ulcere calloso et antiquo percurando, mercurius praecipitatus ruber, eidem inspersus, ac methodus confortans, meliora praestabunt.

Si *scirrhosa* his in glandulis durities sequatur; tunc ad ea, quae (§. 135.) dicta sunt, ac alibi dicentur, spe felicis eventus, eheu! non magna, descendimus. Nec tamen reliqua in quibusdam, a bubone resoluto, glandularum inguinalium plenitudo majorque *sensibilitas*, vel *dolor inconstans*, quae saepe victus laetior, chiae decoctum, unguentum volatile cum tinctura thebaica, maris balnea, dissipabunt, pro *scirrho* imponant! *Carcinomatis* vix unquam sanationem, ad regulas, alia hujus operis in parte exponendas, impetramus. Rarior hic loci *gangraena*, praescriptas (§. 136.) ad leges tractanda est.

c. epidid. §. 539. *Epididymitis*, medorrhoeae acutae effectus (§. 524.), pro causae ac symptomatum ratione, diversam medendi methodum expo-

exposit. Nunc enim febris haud magna, vix sanguinis missionem sibi exigit; nunc, mitis ab initio, post primos jam dies augetur, ac tam intensa fit: ut non una, sed plures interdum, venae sectiones reddantur necessariae. Jam sub praevia medorrhœa, testiculos suspendendi consilium dedimus (§. 535.); interim stadio inflammationis cessante, testes sibi ipsis committi, in multis opportunum est. Qua ratione tumor scroti increscit, eo magis suspensorium relaxandum esse, ne compressio succedat, quivis facile intelliget. A motu quovis abstineat, ac in lecto supinus in dorsum decumbat aegrotus. In robustis, plethoricis hominibus, venae sectio, tumoris, ac doloris incremento majori praemittenda, — ac si vehemens tunc febris, cum pulsu pleno ac duro insurgat, ea ipsa aliquoties repetenda est; aut, si hoc minus necessarium videatur, hirudines decem vel quindecim scroto apponendae sunt. Sanguine, si ita videatur, detracto, mox a morbi principio frigidam aut puram, aut cum saccharo saturni remistam, circa scrotum continuo applicari, ac testes frequentius in illam demergi opportet. A camphorae spiritu cum extracto saturni et aqua remisto, scrotum ia-

flammari conspeximus. Praeterea alvus clysteres solvenda, vel et blando, ex manna, tamarindis, medicamento movenda est. Cibi modo pauci, facilesque concedendi, spirituosa, calefacentia fugienda sunt. Si major ad urethram, perinaeum inflammatio simul ureat; emollientia huic ipsi, quod frigida, confirmata jam phlogosis vix perferat, apponenda sunt. Si magis nervorum irritatio, ut vidimus, quam vera inflammatio, epidemicem ad consensum vocaverit: tunc *opium* ad noctem propinandum, vapores aromatici, ex sella perforata, ad scrotum, testiculis suspensis, dirigendi, ac in primis clysteres, cum laudani portione fere dupla, liberato prius a faecibus intestino, injiciendi sunt. Vel in ipso, qui cum valida inflammatione incesserat, morbo, sanguine jam satis emisso, *opium*, sub reliquo in nervis stimulo, porrigatur. Sub majori jam testium tumore, duritie, dolore, et proiecta jam nimis inflammatione, cataplasma emolliens, quod sub initio non cuisset, applicandum est. Mercuriale unguentum, quod plures hic scroto illiniunt, sine quovis effectu, nisi malo adhibuimus, et si aliis profuisse asseritur; hoc, minus remedio, quam morbo in resolutionem tam prono, ad-

scribendum videtur. Sub fortiori inflammatione, fluida circa testem collecta materia per tactum discerni videtur; sed licet manifestum et praemagnum, hac a causa, *hydrocelen acutam* conspexerimus (§. 124.); incauta tamen foret, ac facile gangraenam induceret tricuspidis hoc in casu administratio. Testiculum, ab incauto chirurgo, hydrocelis curationem cum tricuspite suscipiente, in medio perfossum, ac diras abinde convulsiones, inflammationem horrendam in *Bruchsaliensi* Nosocomio inducta, observavimus. Illa interim a regula, in viro ad Clinicum Institutum suscepto discessimus: cui, violento sub coitu, sanguis ex urethra copiosus prorupit; ac altera jam die tumor magnus sinistri accessit testiculi. Dolor ingens, tensio, figura ipsa tumoris, dysuria, singula, nobis, primo aspectu, morbi indolem celaverant. Cum vero manifestam in parte fluctuationem distinguere licuisset; sectionem tumoris institui curavimus. Effluxit humor copiosus, primum flavus, pellucidus, acris ac foetidus, mox vero puriformis albidaque materies. Nato posthinc ad *urinam* mittendam novo stimulo, haec ipsa, non per urethram, ut pridem pauca, sed ipsum per scroti vulnus multa,

effluxit. Hinc istud, ad locum usque, unde lotium, lacerata sub coitu ex urethra, in scroti telam cellulosam descenderat, dilatum, immisso urethrae cathetere flexibili, viginti fere dierum spatio sanatum fuit.

Medorrhoeam, ubi forsitan, *suppressa*, epidymidis inflammationem produxit, candalarum, et, ut aliqui proponunt, cereolorum novo *contagio infectorum*, in urethram, sub ipso inflammationis vigore, mittendorum auxilio restituere, inopportunum, damnosum esse putamus. Inflammationis in urethra *effectus* est, in multis, testiculum inflammatio; illaque ipsa medorrhoeam nos raro *exsiccat*, non a suppressione profluvi inducitur, urethrae inflammatio. Cessante vero ad urethram phlogosi, si tumor testiculi continuet; cereolorum interdum cum fructu tentabitur applicatio. Vel a sola *angustiae* ad urethram, cum cereolis medela, ad testem tumor illico disparuit.

Si, quod rarum esse solet, *suppuratio* testiculum, aut vicina eidem integumenta, hoc ex morbo, prehendat; huius sine metu, in emollientis usu cataplasmati, donec pus moliter promineat, perseverandum, aut emplastrum ex gummatibus apponendum est. In-

flatmatum, ex ictu sclopeti vicino, suppuratumque testiculum, sectione aperiri curavimus; ac licet pars magna substantiae, filiformis materiae sub specie, e vulnera exivit; major tamen testiculi portio, matura sectione, salvata fuit. Suppuratio, quae, sub scroto, illaeso testiculo, contingit, a ferro brevi tempore curatur.

Suppuratione longe frequentior est, *epidymidis* non modo, sed et ipsius *testiculi*, ab inflammatione praegressa, *durities*; ex quo satis patebit: quod, si, ab initio non ipsum adeo testem inflammari sit verum; sub fine tamen morbi, res aliter se habeat; et phlogosis, et, pendens ex ista, lenta progressu, durities, tum illum, tum funiculum spermaticum, quam longe ad renes fere usque pertingit, non raro corripiat. Varias, et hoc gravi sub malo, methodos commendant Scriptores. Epidymidis durities saepe sponte dispensaret; aut, manens, pericula haud movet (§. 534.); ad testem conversa, difficilis curatu, et saepe nullo, melius, quam valide agente, irritante, et mali exitum forsitan in *carcinoma* praecipitante, remedio, suspensorio solum suffulta, tractatur durities. Quam alibi (§. 135.), sub inflammationis in du-

ritiem exitu , proposuimus , — haec et praesenti in casu , tentanda est methodus . Mercurius , stimulum , non raro scirrhis funestum , inducit ; et nec specifice hic agere , nec , scroto , perinaeo inunctus , per vasa lymphatica in ipsum transire testiculum potest . Linimentum volatile , unguentum cum camphora , atropae belladonnae , mandragorae radices , externe , — cicutae , aconiti extracta , interne , exterius , adhibita , ononidis spinosae , daphnis mucerii decoctum , gummi ammoniacum in aceto squillitico solutum , electricitatem , ac ipsos adeo cancrorum lapides , commendari , — sed malum nunquam ab istis superari , sat certo novimus . A scroti balneo , ex aqua cum opio remista , frequenter instituto , hoc ipsum dissipatum fuisse , experto a Viro percepimus . Num usus candelarum , medorrhoeam revocandi fine , in urethram missarum , ut alias , ex suppressione istius inductas aegritudines , sic et testiculorum aliquando duritiem dissolverit ; de hoc , ex propriis decidere nequimus exemplis ; nec aliquem , per novam medorrhoeam , ab eo testium affectu liberatum fuisse , unquam audivimus .

Si majorem jam molem ac duritatem testiculus acquisiverit, ac dolor lancinans cunctum frequentius penetrare sentiatur; tunc certe testis mature suscipienda est amputatio. Si spermaticus simul, usque ad annulum, jam tumeat, ac durus percipiatur, funiculus; tunc, ob portionis istius, abdominalem supra annulum haerentis in malignam inflammationem, in carcinoma, vel in gangraenam abiturae, vel lethalis haemorrhagiae obmetum, pejori sub omni operatio suscipitur. Post *sarcomatis* testiculi, *recentis*, sectionem, ab illustri, ac versatissimo in chirurgicis Viro arteriam spermaticam, quae suo, necdum fracto, vi temporis, clatere, se citissime abdomen versus retraxerat, non potuisse ad annulum ligari; ac sanguinem copiosum exinde, lethali cum eventu, interna ad loca, prorupisse, exemplo nobis constat.

§. 540. In *phimosis* (§. 525.), quae ut medorrhoae acutae symptoma incedit, curanda, tum penis ipsa corona, tum praeputium, ita, ut hoc, super glande reduci queat, praeparanda sunt; hinc impeditae reductionis ad causas probe respiciatur, oportet. Sursum coles ad ventrem, si modo profluvii ex ure-

c. phimosis.

thra hoc sub situ difficultas non impedit, deligandus, motusque corporis evitandus est. Si febris, pulsusque pleni ac duri simul ad-sint: venaesectio, pro necessitate repetenda, hirudines, ac methodus debilitans, clysteres indicantur; nec major praeputii, quae raro hic sese manifestat, *rubedo exspectanda* est. Post venam sectam, cum satis recens est inflamatio, *frigidam* eidem, vel solam, vel cum aceto, saccharo saturni, conjunctam applicari, saepiusque renovari oportet. Sub majori jam et fere phlegmonoso praeputii tumore, tensione, fomentatio, vel balnea penis continua, tepida cum lacte, decocto malvae, cataplasma anodina, sat mollia, preferenda sunt. Lac tepidum, decoctum hordei, vel malvae, emulsionem arabicam, dilutam, ut glandis, praeputii superficiem probe abluant, concretionem impediant, sine impetu, frequenter injici nunc competit. Phimosis sub fine, si tumor praeputii *oedematosus* supersit, aluminis solutio applicata conducit. Praeputii, quam aliqui hoc in casu instituunt, sectionem, ob non pauca pericula, ob deformitatem perpetuam, et congressus impedimenta futura, vix unquam, — ac certe minus, si ipsa *gangraena* accesserit, ad-

mittendam esse censemus. Si forte, ablata jam praeputii phlogosi, ulcera sub illo haerere videantur; tunc mercuri sublimati grana aliquot, in aqua distillata soluta, ter, quaterve in die, injiciantur; vel si longioris callositas praeputii extremum ad limbum, ne reduci hoc possit, impedit; hujus partem velamenti *circumcidendi* juvabit. In *phimosis chronicā*, cum tumore praeputii, scarificatio istius frequens, moderata, obstacula solvit.

§. 541. *Paraphimosis* (§. 526.) ad curam quod spectat, in ea, ne penis stranguletur, et glandem a gangraena mox corripientem amittat, ne lotii quaevis supprimatur excretio, festinandum est. Coles igitur, erectus, ad glandem, a manu, cui nivem, aut glaciem subtiliter contusam imposuimus, aliquomodo comprehendus, — vel saltem frigidae cum glacie, et saturni extracto remistae, immittendus est; quo saepe praesidio praeputium super glandem posse protrahi, contingit. Si spasmodica magis constrictio esse videatur; ad *opium*, sine mora, venendum est. Si res minus succedat; tunc, ad regulas chirurgicas, praeputium, sine mora, quot in annulos post glandem vitiouse con-

C. parapb.

tractum est, ne corpus cavernosum unum vel alterum laedatur, ac tumor varicoso, concubitum impediti, locus sternatur, incidendum est. Si forte glandem gangraena prehenderit: haec raro cavernosa ad corpora, firmiori tegumento celluloso instructa, penetrabit; sed vel sponte, vel facilis negotio, glans tota separabitur. Hoc praestito, ne urethra, ut docuit exemplum, concrescat, per fistulam eidem immissam, cavendum est. Interim gangraena, paraphimosis sequente, ac partem cellulosa, quae corpora cavernosa investit, consumente, penis *chronica curvatura* originem aliquando agnovit. In *chronica*, mitiori scilicet, *paraphimosi*, ut ipsa in phimosis (§. 540.) scarificationes praeputii conducunt.

C. stadi.
relaxat.

§. 542. Consideratis stadii medorrhoeae inflammatorii symptomatis (§§. 537. — 541.), ad illius, quod *relaxationis* appellavimus (§. 528.), curam descendimus. Haec vero in plurimis ab ipsa natura absolvitur. Nunc igitur, si quid de solito, illinc, victu detraximus, vel si, ob febris praesentiam, antiphlogisticis, ac potui paulo magis indulsimus; sub fuga veneris in longum tempus conti-

duanda, diaetae rigorem, pro gradu stimuli minoris, imminui, ac methodo debilitati, ne *chronicam* profluvium hoc indolem, quod in foeminis, prae viris, timemus, assumat, renunciari oportet. Si totius debilitas systematis aut morbum praecesserit; aut, inquietas ob noctes, ob dolores violentos, ob victus tenuitatem, ob humoris mucosi jacturam, sequatur; tunc, ultimi sub fine hujus stadii, praeter cibos nutrientes, cum vini portione, liberius porrectos, ad corticis vel frigidum infusum, vel decoctum ascendimus. Sed plures, hoc a morbo, *localis* modo, in genitalibus, *debilitatis, laxitatis, sensibilitatis* morbo-sae reliquiis, laborant; atque hinc localibus magis, vel solis, vel corroborantibus universum systema superadditis, remediis indigebunt. Per gradus igitur ad ista veniendum, genitalia frequenter cum frigida, in viris lavanda, in foeminis, simul eluenda sunt. Si longius, quam par est, profluvium continuet; *injectio* in urethram, vaginam, aquae calcis recenter paratae, solutionis cum opio, vel solius (N. LXIII.), vel superaddito saccharo saturni (N. LXIV.), nunc utique tentari sine ullo discrimine potest; qua certe sub methodo, brevem in sat multis, — nec tam

longum in aliis, morbum sistit medorrhoa; ac praecipitis non incurrimus curae pericula.

Ex ulcere *venereo* pendentem medorrhoeam, vel cum, *luem* adesse, symptomata testentur, exhibito mercurio, ut hanc ipsam, — et quod reliquum est, exposita vix methodo, tractamus.

*C. med.
foem.*

§. 543. *Vaginali acutae* (§. 529.), non alia, quam *urethrali* utroque in sexu (§§. 535. 536. 538. 542.) medorrhoeae, medendi est methodus. Tepida semicupia in foeminis majorem, quam in viris, in stimulo frangendo, utilitatem manifestant; ac potior est, vel sub ipso stadio inflammationis, injectio-
num cum emollientibus, vel cum lacte, emul-
sione arabica in vaginam, sine impetu, fa-
ctarum, quam in urethram, leniendi facultas. Venam tundendi rarer hoc sub morbo apud foeminas necessitas habetur; nec potus quan-
titas siti major, quod vaginam saturatior pau-
lis per urinam non allidat ac irritet, et quod major genitalia post emissam urinam lavandi concedatur facilitas, requiritur. Sed, ut com-
munior, hoc in sexu, medorrhoeae acutae in *chronicam* est transitus; ita fere majorem *relaxationis*, in illa, quam *inflammationis*, sta-

dium, attentionem medicorum sibi exigit. Hinc sese lecto tunc temporis, sub majori corporis ac animi quiete, mulier committat; ac, si forte maiores fluxum sanguinis nervorum turbae comitari consuescant; has cum opii portione componat. Tardiori, a cessante jam phlogosi, medorrhoeae, cum externis (§. 542.) medendi, melior, absuloto a diebus jam tribus aut quatuor menstruo, habebitur occasio. Facile fortiorem *vagina*, quam urethra virorum, opii, vel sacchari saturni portionem admittet. Sat profunda sit, ac saepius in die, praemisso, cum aqua simplici vaginali clystere, instituatur, indicata adstringentis solutionis injectio: quam supino in situ mulier per aliquot minuta retinere conetur; appropinquante vero menstrua periodo prorsus omittat.

§. 544. Habito ad causas respectu, non aliter, quam acuta urethralis, vaginalis medorrhoea (§§. 535. 536. 542. 543.), tractandum est muci puriformis, ex ani locali affectu inductum profluviu. *Haemorrhoides mucosas*, ut vocant, easdem, quas sequenti de sanguineis profluviis libro trademus, ad regulas moderamur et sanamus. Similiter de

C. med.
recti.

tenesmo, ac mucoso ex vermibus recti intestini profluvio, tum de illo, quod ipsam dysenteriam insequitur, aliuc sermonem transferimus. Si ex acri, vel a contagio, recti orificio admotis, irritatio ac phlogosis oriantur; nisi ulcus venereum, quod speciale sibi curam exposcit, hic lateat; tunc, positis circa anum hirudinibus, vasorum repletionem moderari, alvum cum oleo assumto laxam servari, ac, stimulo fortiori sublato, ex emulsione arabica injectiones institui oportet. Cesante jam phlogosi, et profluvio in longum decurrente, externa, quae in medorrhoea vaginali commendavimus (§. 543.), remedia adhibenda sunt. Foeminam cum felici curationis eventu tractavimus, quam, ex suppressa cum adstringentibus medorrhoea vaginali, impuro concubitu contracta, mox similia illi, ad anum symptomata, — et neglecto, a duodecim jam annis, feroci hoc incommodo, recti intestini indurati pertinacissima, et faecum, nisi diffluentium, excretionem protinus nunc impediens constrictio affixerant. Frequentes, sed parvas, ex lactis cremore dulci, injectiones tepidas in anum institui, butyrum cacao eidem intrudi, posthinc vero agarici frustula praeparati, ac post

ista, cereolos sensim sensimque majores immitti curavimus, ac fere naturalem hac methodo habitum extremo intestino conciliare potuimus. Nec ad ipsam vaginam, in primis vero externum ejusdem ad ostium, hujus exitus medorrhœae, in primis recidivæ, cum ulceribus conjunctæ, in duritiem parietum insensilem, ac virgineam angustiam, desunt exempla.

§. 545. Sub *externa medorrhœa* (§. 531.), ^{c. med. ex-}
non seposita causæ, quæ morbum induxit, ^{tern.}
ratione, potissimum in munditie partis affec-
ctæ studium ponendum est. Hinc fotus aquo-
si, demulcentes, emollientes locis a phlogosi
correptis admovendi, ac similia, sub longiori
præputio, injicienda sunt. Dissipato cum
istis stimulo, ad *externa*, quæ robur infra-
ctum restituant, majorem partis sensitatem
corrigan, in primis ad ea, quæ (§. 542.)
adduximus, fortiora paulisper, remedia ma-
turius pervenimus.

§. 546. Qua ratione *chronica*, ex acuta
descendens medorrhœa (§. 532.), præca
venda, curanda sit, partim jam diximus (§.
542.—545.). Quodsi proposita jam metho-

^{c. med.}
^{chron.}

do superius esse malum, docuerit eventus;
Ex ure. tunc potissimum, an *ulcus*, vel, cum rarissi-
me hoc adsit, exulceratio superficialis, in ure-
thra lateat, inquirendum est (§. 533.). Est
interim sua et huic rerum aspectui fallacia;
et exquisitam, longamque saepe locus sub
medorrhœa acuta affectus, sine ulceris prae-
sentia, sensibilitatem, ut novimus, conser-
vat; nec aut puris, ichoris, ab humore *pi-*
riiformi, in cryptis urethrae mucosis stagnan-
te, tam facilis est distinctio; aut sanguinis
pauxillum in illo conspectum, continui lae-
sionem sat certo confirmat. Quodsi etiam de
ulcere securos nos esse jubeat diagnosis; an
venereum, seu malignam, hoc ipsum, an ve-
ro benignam modo indolem foveat, prius-
quam *luis* symptomata compareant, haud sa-
tis constat; vel, si forsitan constaret, *mercu-*
rialium tamen usus interorum, nisi viru jam
Per inject. in corpore evoluto, proficuus haud foret. In-
terim injectio mercurii corrosivi (N. LXV.),
non quidem *specifici*, ut vocant, sed *ulcus*
depurantis remedii virtutem promittit. Si hoc
ipso, frigidae, vel ipsius glaciei, frequenter
ac brevi tempore anteriorem ad urethram
applicandæ, per usum, molestum non ces-
set profluvium; tunc, aut spiritus vini recti-
ficatus

ficatus cum aquae sex vel septem partibus remistus, aut vitrioli solutio (N. LXVI.), vel et corticis quercūs junioris, ex diluto tandem ad saturatius veniendo, decoctum, aut lapidis caustici solutio (N. LXVII.), aut myrrhae liquamen, cum tinctura thebaica, saccharo saturni et aqua (N. LXVIII.), per longum satis tempus, sed majori sub cautela, adhiberi merentur. Interdum rhabarbarum, ad dosin, quae alvum vix moveat, vel et balsamus copaivae, terepinthina, apud viros, per quorum urethram remedii vis penetrat, exhibita fuerunt. Vel ipsa cantharidum tinctura, qua tamen vix uti, hoc in casu, vellemus, sine laude non fuit. In casu sensibilitatis ad urethram morbosae, potissimum ex opii, vel sola (N. LXIII.), vel juncta cum saccharo saturni (N. LXIV.) solutione, actionem speramus. Ab *internis*, hoc sub malo, nisi debilitas universalis subesse videatur, exspectari effectus haud potest. *Olibani*, hoc sub statu laudati, experimentum hucusque non fecimus.

Nec minor est virtus cereolorum, vel et syringis ex resina elastica paratae, tam in casu, quo *ulcus* latere suspicamur, quam in primis si laxitas urethrae, profluvii causam formare

videtur. Jam sola interdum *equitatio*, et inducta per istam moderata perinaei concussio, — vel et vini abusus, aut novae medorrhoeae susceptum contagium, phlogosin acutam in urethrā revocando, longaevae finem imposuit medorrhoeae. Parum refert, quae demum cereolorum, qui singuli tantum mechanico in urethram stimulo agunt, ac eandem comprimunt, extendunt, eligatur compositio; modo gradatim a minoribus ad maiores ascendi, ac eosdem, laesionis sine periculo immissos, tempore sensim sensimque longiori in urethra non modo relinqu, sed et ad ventrem firmari curemus. In vesicae cavum delapsi, et calculo crystallino pro nucleo servientis cereoli, in museo pathologico, servamus exemplar.

C. angust. *urethr. .* Sed ad felicia hujus saeculi inventa, vix dicti cereoli, vel ex resina elastica cylindri, catheteres, cum vel *chronica medorrhœa*, vel *urinae difficultas*, *suppressio*, non ex urethrae aut phlogosi, aut spasmo, sed ex mechanica ejusdem *angustia*, nascuntur (§. 533.), licet morbum radicitus vix tollant, numerandi sunt. Sub ulcere, fistulis urethrae, perinaei, sub prostate tumore, abscessu, ac pendente ex istis ischuria, saepe

unicum in hoc summo subsidio solatium habetur. Si vel minor, quem majoribus semper praemitti oportet, cereolus urethram haud penetret; tunc *musica interdum chorda*, prius oleo inuncta, canalis feliciter, ut nos quoque novimus, angustias superavit.

Si fortis in urethra inflammatio, vel aliud, urinae fluxui contrarium, obstaculum, cereo-
lorum, catheteris introductionem impedit;
tunc, maturo consilio, vesica, aut per rectum
intestinum, aut ad perinaei, — aut denique
ad pubis regionem, cum tricuspidi, ut in
sesto, de retentionibus, libro diffusius expone-
mus, perfodienda est. Plerumque his in chro-
nicis urinae suppressionibus vel prostatae,
vel colli vesicae tumor ac durities, ne tri-
cuspis per rectum intestinum, perinaeum,
sine laesionalis periculo, ad vesicam feratur,
impediunt; ac optimo *ad pubem* hoc viscus
perforavimus consilio. Qua vero nos lege
cereolis, cathetere, tricuspidi, his in casibus
uti conveniat, — qua denique ratione absces-
sus, fistulae perinaei, urethrae, tractandi sint,
Chirurgia vos docet. Vix prius, ac dum jam
nimis adoleverint, tumoris, et duritiei chro-
nicae ad prostatam symptomata se produnt,
vel accusantur ab aegris. Hinc raro, si un-

Suppressio
urinae.

quam , auxilium a methodo (§. 135.) ex-
posita admittunt; nec unguenti mercurialis
ad perinaeum, laudata a multis, iunctio,
nec interna, ex cicuta , mercurio , vel aliis,
medicamenta , nobis opem , in casu graviori,
tulerunt . Plerumque tamen per vices invadit,
et nova ex *phlogosi* augetur urinae ex pro-
statae tumore difficultas : quam saepe hirudi-
nes , linimentum volatiliter perinaeo applicata
juverunt . Interdum a *spasmo* excitantur , et
per vapores aromaticos , ex sella perforata
perinaeo admissos , per clysterem emollien-
tem cum opio injectum , vel per cataplasma
anodinum perinaeo appositum , tepidumque
per balneum , moderantur haec incommoda .

C. med. in-
sonis.

Quae foeminam divexat , vel ex *acuta* ,
contagiosa (§. 529.) descendens , vel aliis
ex causis (§. 533.) oriunda ; *insonis medor-*
rhoea (§. 532.): haec equidem vix alia ,
quam *chronica* quievis , methodo generatim
tractanda est ; interim propiorem sibi mali-
istius , urbium apud incolas quotidie invale-
scentis , cura considerationem exposcit . Quae
igitur occasionem huic foedo profluvio dede-
runt (§. 533.), ea sollicitudine vel maxima
evitari , — atque num illud alterius , prima-
riae , aegritudinis effectu , — num totius sy-

stematis conjuncto, num solo genitalium e-
vitio descendat, — num foemina majorem
cum hoc fluxu habitudinem jamjam contra-
xerit, in primis discerni, — ac tandem, de-
sumtis ex hac ipsa cognitione indicationibus,
symptomatum, si urgeat, vehementiam, op-
portunis auxiliis fructuari oportet.

Cum vero facilius praeveniri, quam, adul-
tum, auferri queat hoc vitium; interest quam-
plurimum, ut cuiā parentum tenericribus
puelhs, a prima pubertate, tum *menstruae*
excretionis imminentis, tum pendentis ab
ejus neglectu, vel a vivendi ratione perver-
sa, *morbosi profluvi* matura suggestur co-
gnitio. A sola rerum, quae proprii conditio-
nem sexus, ac valetudinem concernant, com-
muni ignorantia, et a male intellecta multa-
rum verecundia, quam plurimas virginum, mu-
lierum, matrumque juniorum aegritudines, a
primo principio, neglectas, ac multum,
priusquam paterent, adiuctas fuisse, dolui-
mus; nec earum, quae jam per annos non
paucam, quin de morbo suspicionem forma-
sent, vel eandem parentibus, medicis pro-
didissent, pituitam ex uteris stillaverint, no-
bis desunt exempla. In genere, nisi major
in urbibus, quam sperare audeamus, sequio-

ris in sexus physica, et morali educatione mutatio succedat; — nisi matrum corpora futurarum *victu*, *vestitu*, *artuum exercitio*, sanitatis ad leges accommodatis, majori, quam solent, sollicitudine firmentur; — nisi nuptiae in civitatibus praematura evitari, matrumque circa prolem alendam officia, ut ab ipsa natura, sic a legibus praescribi queant; — ac demum, nisi major illarum, quae Civis Reipublicae donant, partus sub opere, cura apud omnes habeatur; — ars Medica quidem amissam mulieribus hoc ex profluvio salutem hinc inde restituet; sed morbum tam late inter illas extensem, ac numero populum tam infensem, praevenire, sola, non potest. A frequenti inprimis *pudendorum catarrbo*, quem toties frigus, illis, a subdito forte igne calefactis, admissum inducit (§. 533.), et quo major cum profluvio habitudo in multis inducitur, foeminae sibi caueant.

C. interna.

Quodsi igitur vel morbus quicunque alias, vel totius laxitas, debilitas systematis, hoc profluvium induixerint, comitentur; tunc illa, quae his ipsis opposita sit, methodus, — sub majori autem fibrarum inertia, corticis in primis, martialium, cibi nutrientis, vini,

exercitii moderati, balnearum frigidorum usus, — ac lenta si febris jam urgeat, elixit vitrioli, *localis* simul *affectionis* curationi praemittenda sunt. Nec prorsus ea, quae *interne* adhibentur, generali laxitati dicata, medicamina, suos in ipsa genitalia effectus perpetuo recusant; sed vidimus foeminam hoc a fluxu violenter vexatam: cui, quoties martis limaturam stomacho ingesserat, toties fluor illico, sub magna anxietate, suspendi, usque martis seposito, reverti consuevit. Rarum est, huic morbo *plethora*, pro causa, subesse; ac si menstrui defectus frequenter eundem praecedit; ex eadem utrumque symptomata origine, locali scilicet ad uterus obstaculo, plerumque descendit. Hinc raro, si unquam, *venaesectio* foeminam, *chronico* huic fluxui subjectam non laedet. Nec minus ea, quae, ob serosi, mucosi humoris in sanguine redundantis insanam hypothesisin, toties commendarunt, purgantia ventrem remedia: tum ex eo, quod totius debilitatem, sensibilitatem adaugeant, tum quod viscera pelvis stimulo contrario exagitent, cum damno praescribuntur. Si latens in ventriculo, intestinis, sanguis haec exigere videatur: emeticum ex radice ippecacuanhae, vel rhabarbarum cum

magnesia calcinata, juncto cinamomo, praeferti merentur. Si vel solâ cum magnesiâ, vel lapidibus cancrorum, vel aqua calcis, profluvi hoc genus aliquando exsiccatum fuisse legimus: id certe, symptomaticum, ex ventriculo, ab acida saburra vexato, hinc opportunam corpori nutritionem denegante, uterique secretionem per consensum turban-te, originem potissimum traxisse, arbitramur. *Mercurius*, quem aliqui hic morbi laudarunt, si pro purgante alvum remedio aegrotis praebatur: non minus, ac alia hujus classis medicamina, debilitatem praesentem adauget; — si, ob mucosam, ut supponunt, cruoris indolem, pro incidente, remedio offeratur; ad hypothesis magis, quam verae indicationis ad leges praescribitur. Si forsitan acre venereum, herpeticum, vel scrophulosa disposi-tio fluorcm ex utero induxerint; aliquem subinde locum mercurius habebit.

C externa. Sed, vel universi debilitas systematis hunc morbum praecedat, comitetur, sequatur; vel ex vitio genitalium locali hic pendeat: exterritorum ubique requiritur subsidium; ac ultimo in casu haec jam sola sufficiunt. Temporis interim, quo feminam profluviū ex utero vexavit, et contractae cum eodem ha-

titudinis, rationem non parvam hic haberi oportet; externaque remedia, sub majori cautela, sensim sensimque, a mitioribus ad fortiora progrediendo, adhibenda sunt. Si alius, isque major forte, morbus, a fluente ex utero pituita subsidium habuisse: incauta profluvii suppressio primariam facililime aegritudinem revocaret. Plura interim *habitudinis* ex legibus infractis, quam quod in aliam iniqua materies repulsa, deposita sit, partem, nascuntur a suppresso hoc profluvio salutis incommoda (§. 534).

Primum, quod *externe* adhiberi mereatur, remedium, est *frigida*: qua, pro balneo locali genitalibus diffusa, vel lumborum regioni aliquoties in die, a certa altitudine, instillata, ac simul ex syringe sat crassa, pluribusque foraminulis instructa, in vaginam injecta, puriformis, per stagnationem, locique calorem hic corrupta materies eluitur, et nervorum inertia, et laxitas partium quam optime corriguntur. Sub majori pituitae acredine, foete, *aqua calcis* vel sola, vel cum corticis peruviani decocto, frigide injecta, melius conduceat. Sub magis diurno ac rebelli profluvio, ad illas, quas in urethrae chronica medorrhoea, ex opio, saccharo saturni, vitriolo

albo , commendavimus (§. 546.), — sed , ob minorem vaginae , quam urethrae sensibilitatem , fortiores , injectiones (N. LXIX. LXX.) gradatim ascendimus ; vel has ipsas , per spongiam marinam , coni inversi figura instructam , filoque muniam , — vel contortum , pessarii in modum , similique liquore imbutum linteum , aliquot per horas , vaginae , cuius simul prolapsum impediunt , committimus . Nec minus suffimigia ex thure , mastiche , aliisque rebus aromaticis , ad externa genitalia , vel simul per tubum , ne calor vaporis obsit , sat longum , ad vaginam directa , commendari merentur . *Equitatio* , in multis , hoc sub morbo , egregie conductus ; nec profluviū abinde , ut exspectari licuisset , augeri , sed manifeste imminui , intelleximus .

ORD. II. GEN. III.

CONORRHOEA.



§. 547. **A** medorrhoea (§. 518.), seminis ^{Definitio.} humani morbosum profluvium, gonorrhoeae sub nomine, ob indolem prorsus ab ea diversam, consulto separamus. Est vero gonorrhœa fluxus seminis, vel analogi humoris, morbosus, vel *continuus*, ac stillatius (*completus*) vel, sine penis erectione perfecta, et a minori, vel a nullo libidinis stimulo, hinc inde, contingens (*incompletus*).

§. 548. Humore in matura aetate ad testes secretum, ac per vasa deferentia in vesiculas seminales depositum, natura, pro specie humanae propagatione, hoc, non ampio, receptaculo, futuros in usus custodit: donec copia aductus, et ex parte resorptus, genitales non modo nervos, sed et totum syste-

ma, vi magna extimulet, atque animal humanum generationis ad opus invitet; vel ab illo, quibuscumque ex causis, huic stimulo resistente, sub insomniis, pro aetatis, constitutionis, vitae, ac morum ratione, saepius, aut rarius, *pollutionis nocturnae* sub nomine, expellatur. In *vigilante* interim, *sanoque* viro, si stimulus externos evitet, seminis, praeter voluntatem, perraro fit excretio; ac ut ista, in homine volente, naturae ad finem, succedit, veretri erectio praecedat, et ad copulam foecundam praeparentur genitalia, necesse est. Nec in *dormiente* adeo homine frequentius, quam id seminis collecti copia inducat, hic liquor sub somni ludibriis disperditur; nisi aut victus succulentior, potus spirituosi, sub vita otiosa, ingesti, aut intinius cum sexu altero commercium, vel amor, vel obscenorum lectio librorum, imaginum lascivarum aspectus, libidinosa colloquia, mollisque in dorsum decubitus, naturam extimulent. In *negrotante* vero homine, vel dormiat, vel vigil sit, ob varias rationes, et in primis vel ob totius systematis nervosi, — vel ob specialem genitalium debilitatem, sensibilitatem, vel demum ob stimulum his partibus admotum, seminalis excretio liquo-

ris constitutos a natura limites excedit, et cum insigni sanitatis detimento, vel sub somno, vel, quod pejoris jam conditionis signum est, sub ipsis vigiliis, a causa minori, ac saltem sine debita penis erectione, aut et sine consuetæ voluptatis sensu, contingit *pollutio*. Sed et altera existit, rarer longe illâ, virorum conditio: cum semen dormientis non minus, quam vigilantis ex urethra, praeter omnem voluntatem non modo, sed et libidinis, voluptatis sine sensu, ac sine veretri erectione, distillat.

Sunt quidem, qui *vivi* semen viri, quod sponte in *cadavere* factum esse concedunt, sine sensu voluptatis ac tentigine, vel, in dormientibus, sine animae ludibrio venereo, effluere negaverint; sed quamvis haec raro medico-rum ad aures perveniant mysteria; duo tam-en nobis ipsis, jam pridem, quae contrarium ostendant, oblata sunt exempla: unum, juvenis, sed impotentis cum uxore dilecta, viri, qui suae culpam impotentiae, in semi-nis, sub somno, sine quovis, de quo sibi constaret, animi ludibrio, ac sine ulla volu-ptate effluentis, frequentem jacturam non im-merito rejicit; — alterum, quod magis ra-rum est, viri, a prima juventute castissimi,

ac licet sexaginta jam annos numerantis, plus
rimo tamen semine dotati. Hic nempe, cum,
in aetate juvenili, robustus, laute nutritus,
et a quovis alio sibi stimulo venereo longe ca-
vens, in febrem malignam incidisse, ac in
summo periculo versari, medico celeberrimo
videretur: ea ipsa, qua mortem hic timue-
rat, nocte, ter semen copiose sub somno
emisit, ac altera jam die sanitate perfecta
gavisus est. Cum vero hujus viri, jam senis,
nobis commissa valetudo fuisse; frequenter
in illius urinis, nisi semen hinc inde dor-
miens, a quo plurimum reficiebatur, perdi-
disset, hoc ipsum ad pollicis unius et majo-
rem altitudinem in fundo vasis deteximus.
Ex *prostata*, ut alii jusserunt, hunc album,
seminique simillimum liquorem derivavimus;
sed cum aliquando, curru, saxosas per vias,
celerrime ruditerque veheretur: sub medio
cum nobis sermone, et cum certe nulla ve-
nereis de rebus cogitatio subesset, sibi lotium
ex urethra praeter arbitrium fluxisse monens,
id ipsum, quod effluxerat, *semien*, odore,
colore, consistentia distincte nobis obtulit.
Nil certe obest, quin, sub majori vesicula-
rum seminalium *plenitudine*, vel sub *laxo*
ostiolorum, quibus istae in urethram deplen-

tur, *habitu*, vel sub praegressa foraminulorum excernentium *erosione*, sub nixu corporis fortiori, equitatu, hic liquor in urethram exprimatur.

Quid, *foemineo* in sexu, humorem, sub coitu, non certe quovis, nec omni a foemina, sed tamen a multis, sub optato congresu, profundi solitum constituat, — quam ille originem agnoscat; hoc, licet de re per quam communi agatur, hanc usque in diem sat certo non perspicimus. *Semen esse*, antequitas, *ovaria pro testiculis* considerans, pronunciavit; Recentiores, ex magnis rationibus, negarunt; sed, forsitan minori veritatis argumento, a muci, circa extimam vaginam, fontibus prodire dixerunt. Haec scilicet excretio, in multis, — copia, celeritate, et impetu majori, quam a cryptis mucosis repeti ut queat, contingit; nec humor expulsus, tenacem, ut mucus, indolem ostendit. Augetur quidem et istius, sub coitu, per vaginam, secretio; sed quae sub iisdem, ac in *viro*, *phenomenis*, per pauca momenta copiosius contingit, ea non minus in sexu sequiori, quam seminis in viris effusio, voluptatem ex coitu perceptam, oestrumque veneris promptissime extinguit; vel, stimulo

continuato, lentius, aut minime, succedit; vel, si frequentius provocetur: eadem, quam major, in viris, jactura seminis, laesae valedudinis incommoda (§. 549.) producit. Haec denique, diversa a muco vaginae, materia, non minus, ac semen virorum, sub somni ludibriis, sine quavis genitalium irri-tatione externa, muliebri e sinu hinc inde profunditur; et commune nimis utrumque apud sexum masturbationis vitium, aequali in utroque successu, suscipitur, aequali demum salutis amissae poena castigatur. Frequentius in equariis, plurimarum equarum, num venerem appeterent, et ad conceptio-nem essent pronae, examini attente interfui-mus. Uno hic ab equo, plures ad venerem equas, ad mammas, genitalia, admoto capi-te, irritari, ac suam generationis ad opus prumptitudinem, largissima liquoris flavescen-tis, pellucidi, ex genitalibus explosione, si-gnificari observavimus. Quod certe, in uno ex grandiorum classe animalium observatum, tam conspicuum, phoenomenon, quid in fœmina humana conceptionis sub opere contin-gat, sat clare manifestat.

Quodsi vero, que ad prolem generan-dam, utroque in sexu, contingit, tam semi-nis

nis virilis, quam humoris, apud foeminas, analogi, excretio, vel a stimulis aequo minoribus, vel praeter arbitrium, tentiginem, suscitatur; tunc morbus, quem *gonorrhoeam* vocamus, oritur, cuius flebiles in ipsos non minus aegrotantes, quam in generis humani propagationem, effectus, describere conabimur.

§. 549. Non modo qui, praeter arbitrium, aut medio sub somno, aut vigiles, obscoenum liquorem e genitalibus, minori sub sti-mulo, deperdunt (§§ 547. 548.); sed et illi, qui, necdum *gonorrhoea* laborantes, tam ultra, quam aut aetas, aut vires permittant, venerem ardenter, libidinosi, colunt, aut semetipsos masturbant, juniores in primis sponsi, uxores, immaturae aetatis pueri, puellae, aut senes tardiori matrimonio juniore cum foemina juncti, ex nobilissimi, licet pauci, liquoris dispendio non minus, quam ex *convulsiva*, quae singulos coitus comitatur (§. 467.), et quam in ipsam epilepsiam transivisse, ex variis exemplis utroque in sexu captis, recordamur, totius systematis agitatione frequente, primum, viribus languentes, de flatibus, de stomachi in-

fracto tenore, conqueruntur, pallescunt, ac pristinæ formam elegantiae deponunt; capite gravantur, susurrus aurium, aciem oculorum imminuetam, animi moestitiam, anxietatem, — sub motu suscepto, dispnoeam cordisque palpitationem accusant, tremunt manibus, et cruribus vacillant. Interea febris haud adest, ac cibos sat avide assumunt; sed in corporis nutritionem converti, quotidie magis, magisque macilenti, non sentiunt.

*Tabes dor-
salis.*

Huc vero malorum cum ventum est, vel et illi, qui ex propria semen voluntate jam nimis sparserunt, aut cum uxore, aut soli, decumbant, cum palpebras vix clauerint, mox, inprimis in dorsum extensi, ac lecto molliori cubantes, veneris sub somno ludibria, ac novam seminis jacturam patiuntur. Jam vero, si novo concubitu id mali prævenire contendant: se minus aptos ad coitum persentient, ac saepe sub dimidia, vel nulla, penis erectione, priusquam sinum mulieris adire potuerint, — interdum jam a solo foeminae dilectae aspectu, vel, oblata rei lascivae imagine, commemoratione, sponte liquorem seminalem, sub exigua, aut fere nulla voluptate, amittunt, ac vera gonorrhœa laborant. Interdum, quod jam divus medici-

mae fundator intellexit, cum urinam, aut ster-
cus reddunt, semen genitale copiosum et li-
quidum profundunt. Ex *prostata* partem
istias venire, cum ratione asseritur; sed ma-
gna, quae hoc profluvium insequuntur, *debi-
litas*, nervosa symptomata, ea satis, nobis-
hiorem hic simul liquorem deperdi, et ex
partium, quae hoc secernunt, violento et in
longum continuato stimulo, secretionem se-
minis enormiter, et cum totius interitu nu-
tritionis, augeri, demonstrant. *Spinalis* vero
nervos *medullae* hic magis, quam alios, hoc
sub morbo, vexari, tum formicarum, aut et
frigoris, ex collo, per columnae vertebralis
longitudinem descendantium sensatio, tum
lumbalium muscularum major, quam aliorum,
ut spinae dorsi promineant, extenuatio, satis
ostendunt, ac *tabes dorsalis* nomen, licet aliama
haec originem interdum, quam ex *venere*,
agnoscat, non ineptum esse, confirmant.
Non raro summi ad caput, nucham, lumbos,
vesicam, anum, dolores hic urgent; vidi-
musque, hoc ipso in *Clinico Instituto*, juve-
nem, qui, *onaniae* ex crimine, tum vertigine
caduca, tum pedum tanta, ut eisdem insi-
stere non potuerit, debilitate, tum denique
erurum, ad articulos inprimis, quin macios

jam magna adfuisset, dolore vehementer laborabat. Alterum conspeximus, qui sub ipso onaniae delicto, cum terror accedens, spermatis omnimodam excretionem violenter prohibuisset, a dimidii corporis paralysi corruptus fuit.

Quodsi nunc malo, quotidie incrementum sumenti, obicem non ponant; febris lenta accedit, ac sub pulsu celeri, exili, pomeridiani horrores, rubores genarum, calores interni, urentes, sudores nocturni, colliquativi sequuntur; hebetes fatuique fiunt, cadaveris speciem ambulantis assumunt, vel corpore obstipo rigescunt; tument oedemate pedes; variae ad cutem maculae, vel pustulae, vel et ulcera nascuntur; oculi in profunda, et fere vacua orbita sepulti, coecutiunt; diarrhoea accedit, deciduntque capilli; et qui nimiam, plerumque vanam, sic aliis generandis operam dederunt: hi vitam, vel ipso juventutis sub flore, ephemoram, aut sponte efflant; aut manu violenta, suarum, quae tantis calamitatibus stipatae sunt, dierum pertaesи, concludunt. Non rarum est epilepticas convulsiones hanc originem agnoscere; et qui sub fortioribus epilepsiae alterius insultibus frequentius polluuntur: — hi citius, non

adeo primarium ob morbum, quam ex *tube* *dorsali*, per seminis jacturam inducta, necantur. Nec fortissima animalia hoc funesto libidinis effrenis excipiuntur effectu; sed *equas mares*, summi pretii, qui sibi ipsis, sub vio- lento lumborum motu, semen elicere solebant, in tabem eandem incidisse, ac perversae poenas voluptatis dedisse, memoria tenemus.

§. 550. Variae ad gonorrhœam (§§. 547. 549.) causæ contribuunt. Nunc etenim *debilitas*, *sensibilitas morbosa*, *universalis*, nunc illa *genitalium* potissime, subesse observantur. *Convalescentes* hinc inde semen ex illa, sub somno, frequentius, quam sub ipsa sanitate, amittunt, ac vires deperditas difficilius recuperant. *Inedia*, *meditatio*, ac *studia profunda*, *moestitia*, non minus huc spectant: ut qui ni- miis, *veneris* cupiditates jejuniis animique intensis lucubrationibus, arcere conentur, nocturnae pollutionis causam saepe longe adaugeant. Sed frequentius certe ipse *veneris abusus*, tam ob auctam systematis universi debilitatem, quam ob genitalium infractum robur, ac morbosam sensibilitatem, hunc morbum inducit. *Debilitatem genitalium* majorem

causæ.

progenerant nimium harum partium in suis functionibus adimplendis exercitium, stimulus continuus, sanguinis congestio, ac frequenter seminalium receptaculorum depletio; vel illa, quae istorum foraminulis excretoriis vim facere, ac eadem laxare, erodere queunt. Hinc, amato objecto destituta, et vi solius phantasiae difficilius promovenda, seminis per masturbationem expulsio; — hinc coitus, brevi temporis intervallo frequentius, quam natura exposcat, tentatus: sub quo sanguinem interdum, loco spermatis, a viris libidinosis excretum fuisse, docuit experientia; — hinc seminis violenta, sub ipsa ejaculatione, ob terrorem incussum, retentio; — distractio vesicularum seminalium ab hernia vesicae, tumore scirrhoso, tum proprio, tum visceris adjacentis; — spermatis collectio, in corpore laute nutrito, nec sibi satis a stimulis venereis cavente, nimia; — frequentior plenarum vesicularum, sub nixu ad alvum deponendam fortiori, compressio; — equitatio diurna ac incommoda; — lapsus in perinaei regionem, aut violens contusio; — sectio calculi praegressa; — frequens urethrae, testiumque sub medorrhoea acuta, irritatio, potissime huc spectant.

Sensibilitatem *morbosam* his in organis in-
ducunt, tum ea ipsa, quae robur istorum
infringunt, tum in primis morbi urethrae, pro-
statae, vesicae, vaginae, uteri, ovariorum,
rectique intestini, praegressi, ac iterum me-
dorrhoea acuta, spasmus vesicae, calculi in
ista, vel in ipsis vesiculis seminalibus ha-
arentes, drastica remedia, vel diuretica, apud
viros, fortiora, *aphrodisiaca*, in primis cantha-
rides; acre quodcunque verendis admotum,
rheumaticum, arthriticum, herpeticum, ve-
nereum, leprosum, semen ipsum, varias ob-
causas corruptum; — vel quaevis his in par-
tibus phlogosis, vel suppuratio, sub fistula
ani, ulcus cancrosum, venereum prostatae,
colli vesicae, seminis excretionem, — nec
semper per *urethram*, sed, quibus patet *via*
morbosa, per loca, provocasse sunt visa.
Sed vel ipsa seminis, aequo frequentius ex-
cernendi infelix *consuetudo* saepe facit, ut,
ad minus volumen reductae seminales vesi-
culae, vel paucō et aquoso a semine ad no-
vas depletiones faciliter stimulentur. Quin
sollicita magis, quam corporis, maturi ac ve-
geti, vitaeque *socialis*, nec a victu lautiori,
nec a sexus alterius consortio sibi satis ca-
ventis, conditio id suadeat, fuga *veneris*,

in quibusdam, a natura servidioribus hominibus, pollutionis nocturnae ac nimiae causam largitur: ut *veneris morbosae* non raro ipsa *conjugalii in venere* sit posita medela. Haec ipsa vero ex genitalis humoris abundantia descendens pollutio, si diutius continuet, in *habitualem* converti, et a causis non magnis in corporis detrimentum in dies frequentius succedit.

Sub majori vero, tam universi systematis, quam genitalium ipsorum debilitate, cum sensibilitatis incremento morboso conjuncta, vel sola imaginatio, vel longinquae adeo partis, non summa, irritatio, ad mirum frequenter pudenda consensum provocabunt. *Hydrophobia*, enormes interdum erectiones, ac unum intra diem, triginta pollutiones induxit. Apud viros litteratos, hypochondriacos, nimis frequens subinde seminis jactura est. Jam sola de rebus venereis cogitatio, vel papillarum ad mas irritatio, quibusdam ex sexu sequiori, genitalis secessum liquoris inducit. Ipsa purgantia medicamenta, quae in vesicam et urethram proprie non agunt, ob nervorum tamen communia principia, erectiones fecerunt. Temporalis ex musculi vulnere, pollutionis historia occurrit. Dum virgis caeduntur pueri

jam puberes , non erectionem modo , sed et se-
minis jacturam aliquando patiuntur . Vel solus
jam clyster , calidiori ex aqua injectus , pollutio-
nem induxit . Ex colica spasmodica lethali ,
pollutio secuta est .

§. 551. Jam ex sola , quam hic exposui-
mus , morbi historia (§. 549.), ejusdem
simul pericula sat clare eluent . Nulla qui-
dem tam *aurea* fuit , quin temperantiae *amor*
leges violaverit , *aetas* ; sed multa sunt , in
quae descendere , praescripta hic vetat bre-
vitas , et quae mores hominum ab antiquis
discedere , ac unius , in omnem quasi gre-
gem , vitia prospere fecerunt . Tam late
scilicet , luxuriosas per urbes , per plurima ,
utriusque sexus proli alendae , educandae di-
cata hospitia , per integras virorum , mari ,
terraque , sine conjugis consortio , viventium ,
societas , expansum *onaniae* vitium , quem-
admodum a solis medicorum hortatu moni-
tisque extingui omne non potest ; ita prom-
ptius a bonis legibus ac morum disciplina
restitutis , quam ab arte salutari , auxilium
exspectat . Innumera hoc ex fonte , in quavis
Republica , ob deletam in prima juventute
cum uxore coeundi potentiam , divertia , or-

Prognostic

bata prolibus conjugia, ac praematura civium funera quamplurima repetenda sunt. Quot non systematis nervosi vitia, convulsiones, epilepsiae, paralyses, hebetudines, amentiae, vitae taedia, — quot non haemoptyses, phthises, febres lentae ac hecticae, — quot non leucorrhoeae, uterique haemorrhagiae, prolapsus, ex hac unica obsecoena scaturigine propullulant! . . . Quae morbi alterius symptoma est, ea, prognosin illius fere sequitur, vel exacerbat, atque nunc facile, nunc vero difficulter superatur, gonorrhœa. Tristior est status viri, cui semen, vigilanti, ex pene non erecto, sed flaccido effluit; tristissimus, si ulcus, aut fistula, quae auferri non possint, alienas huic fluido vias aperuerint. Ubi lenta jam febris hominem adurit, et in exhaustis a tenera juventute, vel longam per venerem corporibus, tam ipsa gonorrhœa, quam, socia huic morbo, coeundi, generandi impotentia, medelam vix non omnem recusant; ac in genere, proiectior, vix unquam, — quae recens est, non facile, gonorrhœa curatur.

§. 552. Ex ipsa causarum (§. 550.) cognitione, hoc etiam in morbo, curationis

petendae sunt regulae. Vel quovis in casu, quae totius systematis actionem paulo fortius incitare, ac sanguinis ad laxiora, sensibilita genitalia affluxum augere queunt, potus generosi, aromatica, lasciviae incitamenta, decubitus in lecto molliori ac in dorsum, fugienda sunt. Subita et omnimoda consueto a concubitu abstinentia periculo non vacat. Qui nimio veneris ex cultu, cum somno indulgent, polluuntur; hos ex isto interdum de nocte experges fieri, ac lotium, si possint, ut mittant, moneri oportet. Si stimulum praesentiant, tunc lectulum quantocyus deserendo, pollutionem non raro avertent. Cui sub somno ex pene erecto semen efflue-re consuevit: huic, ut a primo erectionis molimine evigilet, suspensorio et scrotum, et coles simul munienda sunt.

Pollutiones nocturnae ac nimiae, ex seminis, aut analogi apud foeminam liquoris abundantia, oriundae, non aliter, ut diximus (§. 550.), quam veneris salutaris prudenti concesso usu domantur. Interdum victus tenuior, vegetabilis, corporis exercitium ac labor, vini, et rerum, quae stimulum genitalibus addunt, evitatio, in plethoricis venae-sectio, jacturam moderabunt; sed pauci, sa-

mitatis particulam majoris , cum auxilio , quod optimam , in dubiam , aut pejorem convertat , valetudinem , nubere si possint , lubenter re- scindent ; ac saepe , ex certa organi fertilio- ris constructione pendens abundantior secre- tio , a quovis artis , nisi noxio , molimine , sibi leges imponi haud sinit .

Quae vero nocturnae , diurnae , pollutio- nes , gonorrhoeae , *debilitatem* pro causa agno- scunt ; has , victus facilis , sed nutriens , par- va , saepius , portione , ex carne tenera , suc- cosa , — cancrorum , testudinum , ranarum juculis non calidis , cum ovo , — ex amyg- dalis , *choccolode* , ut vocant , ex recentibus , ac paucis aliis vegetabilibus , farinaceis por- rigendus , — potus ex frigida , cum vini ge- nerosi non magna quantitate , — motus cor- poris , pro viribus , in aere sereno , nec fri- gido nimis , nec calido , susceptus , frictiones cum pannis asperis , fumo aromatico imbutis , cauta , genitalia ne irritet , equitatio , amica , proprio cum sexu , consortia , non parum mo- derabunt . Evacuatio hic quaevis , nisi aliae ; sat fortes , rationes hanc exigant , evitanda ; sed simul quae roborent , cautissime , ne sti- mulum augendo , fluxum seminis mox revo- cent , longo tempore adhibenda sunt .


Peruvianus hinc *cortex cum aqua decoctus*, emulsione arabica, et aquae cinamomi portione superadditis, egregia hic praestat. *Aquarium usus mineralium*, ob validam in urinis pellendis potentiam, non satis tutus apud omnes videtur; et facile *martis tinctura* cum succo pomorum parata, vino martiali, suppletur. Vel et ferrum, in pulvere, cum cortice cinamomi ac saccharo porrectum, conducedet. *Spadanae* interim non raro hic cum fructu, vel solae, vel lacte remistae, porringtonuntur. Ex *balsamicis*, nisi obsint, hic parum exspectamus auxilii. *Adstringentia* interne porrecta, cum in *chronica medorrhoea* rarius fluxum cohibuisse sint visa, parum quoque aut nihil in testes ac vesiculos seminales operari viderentur; interim, cum major simul totius systematis hoc in morbo, quam in quavis habituali medorrhoea, debilitas occurrat: adstringentia levi manu porrecta, qua ipse cortex et ferrum virtute prosunt, interdu conducent. Potissimum hic laudem mereatur *frigida*, corpori, lumbis, perinaeo, genitalibus ipsis, brevi tempore, ac saepius adspersa, vel per clysteres hinc inde, sed pauca quantitate, in rectum intestinum injecta. Apud foeminas, nisi jam nimis hac in parte

irritabiles, frigidae per vaginam injectio sua-denda est. Sub corporis non jam extrema debilitate, balnea, ac tandem natationes in frigida, conveniunt. Sed cum tanta in aegrotis, per seminis jacturam exhaustis, sensibili-tas hic urgeat: *opium* a multis hoc in morbo laudari, rejici ab aliis, videmus. Non raro hoc genus remedii, ob stimulum, quem pri-ma actione inducit, ob lasciviae imagines, quas in praedispositis revocat, non minus, quam ob virium inertiam, quam, illo ces-sante, relinquit, cum damno porrigitur; sed quemadmodum in penis, sub *acuta medor-rhoea*, erectione, curvatura violenta (§. 537.), sub testium tumore symptomatico (§. 539.), insignes *opium* virtutes praestitisse est visum: sic quoque sub isto morbosaे sensibilitatis ad genitalia effectu, inprimis per clysteres ex frigida, vaginae, vel ano injectum, no-a minora aegrotis beneficia praestabit.

Primorum vero Medicorum consilio, *la-ctis*, in gonorrhœa et tabe dorsali, usu ^m on immerito commendatur. Hoc igitur tar. ad victum, quam alia ratione, qua copia debili et in acidum coagulum proclivi a stomacho perfertur, inprimis cum latens *acredo* genita-lia extimulet, concedi, ac *humanum*, ex

ipsis, nisi stimulus, apud viros timendus, hoc vetet, uberibus sugi, vel mulsum recenter ex capris, aut vaccis, quod magis lacte asinino, tenuiori, hoc nutriat, praeberi cum fructu potest. Si flatus, pondus ad ventriculum, ructusve acidi sequantur: *lac* illico suspendi, ac post sedatas cum magnesia calcinata, et rhabarbari pauxillo, turbas, iterum, cum aqua calcis, vel *spadama* remistum, tentari, — si vero facilius ab aegroto perferri non queat, in totum seponi meretur.

Si forsitan *mechanicam* gonorrhoea, ex calculo, fistula, tumore, ulcere cancroso, agnoscat originem; nisi aliquod interdum *Chirurgia* hic offerat, — nullum *Medicina* hic suggerit consilium.



O R D. II. G E N. IV.

GALACTIRRHOEA.



<sup>secretio
lactis.</sup> §. 523. **D**uplicem vitae fontem natura pu-
sioni humano maternum ad pectus aperuit,
et magna *chylī*, haud plurimum mutati, co-
pia has vastas per glandulas quotidie, geni-
tricis sine damno, in filium transfunditur.
Per longam annorum seriem, vix alia, quam
ipso *virili* in sexu, hujus mirae scaturiginis
vestigia comparent; ac puellis non magis,
quam pueris, vix utero exclusis, mamillae
hinc inde rubent, calent, dolent, ac tumi-
dae, serosum liquorem profundunt. Quodsi
virgines intactas, vel ex morbo, vel uberum
suctione praemissa, *hic verum* dedit, ex-
perientia aliquando docuerit; id et pinguis
laxisque *viris*, quin *vetus*, et mulieri, quae
menstrua *suppressa* fuerunt, ex mammis sat
abunde

abunde stillasse, docet eadem rerum Magistra. Sed ab aetatis *duodecimo* fere anno, in quibusdam celerius, sepultae hucusque glandulae ex virginis thorace assurgunt, protuberant, et globosam firmamque in molem adactae, tardioris uteri cruentum tributum *exspectant*. Hoc tandem soluto, per *triginta* vix non annos, functionis subeundae promittitudinem in virgine, perpetuo *arentes*, misericorde conservant, ac suum cum utero consensum *periodice* non modo, turgentem, dolentes, ostendunt; sed et sanguinem hinc inde, cui transitus per uterum, forte morbo correptum, negatur, easdem ad leges transmittunt.

Sed utero, vix humano ac foecundo a *Ingravidis* semine irrigato, mammae, post *primos* jam menses, in aliis, a *quinto* ad *sexturn*, a sero, vel sat denso interdum a lacte, duriores volumine increscant, tenduntur ac dolent, vel in illis, quae partum jam expertae sunt, secretum non raro liquorem sponte effundunt. Est tamen, ubi aliter res accidit, et vidi. mus mulierem, cui mammae, cum gravida non esset, continuo, ad novam usque coceptionem, lac multum fundebant; quando primum vero utero conceperat: lac omne di-

sparere solebat. Quo partu vicinior est grava, eo moles mammarum, et serosi humoris secretio magis magisque augentur.

In puerper. Excluso foetu, natura foecundi curam uteri gerit, vasa prius extensa, dilatata, re- trahit, coarctat, exprimit, emungit; affluxum sanguinis superflui avertit, ac minores, vasorum hujus torrenti, diametros opponit; unda, excreto, qui *lochiorum* sub nomine venit, sanguinolento, partusque reliquiis remisto humore, *tertia* fere, aut *quarta* etiam die, magnum jam opus quodammodo absolvit, uterumque, ad illum saltem statum, quo major arteriis praepotentibus resistentia opponatur, reduxit. Novae hinc sanguini leges imponuntur; neque sine omni, tum uteri, tum universi systematis turba, hoc opus absolvitur. In illo scilicet, excretio saniosi liquidi per breve tempus quodammodo languet, tensionis, plenitudinis sensus in pelvi percipitur; — in hoc, motus febriles insurgunt: levis, et sub cute quasi repens, aut per columnam vertebralem descendens horripilatio puerperam corripit; hanc sequitur calor auctus, facies accenditur, caput dolet, sitis accedit, pulsus frequentia, plenitudine augentur, inquietudo cum insomniis turbulentis, pectoris

quaedam angustia, dolor glandularum axillarium, brachiorum movendorum difficultas, molestant mulierem: cuius ubera magis nunc assurgunt, tenduntur, dolent, ac seri albescens majori secretioni indulgent. Sudores, acescentem spirantes odorem, copiosi erumpunt; et post unam alteramve diem, his motibus a natura impensam, *lochia* demum quidquam augentur; sed serosa, mucosa magis, et albida, et puriformia sistuntur, continuante in illis, quae mammae pueri sugendas praebent, per *quindecim fere dies*; in illis vero, quae hoc fungi officio aut non possunt, aut fungi, in filium crudeles, recutant, per sex aliquando, et ultra, *hebdomadas*. Hanc igitur *febrim*, ex solo mammarum turgentium, dolentium, ac lactis nunc aucti phoenomeno, *lacteam* Medici dixerunt. Interim hanc ipsam uberum, jam prius ac febris illa accedit, lacteo humore plenorum, affectionem, *symptoma* potius laborantis adhuc, vulnerati quasi, ac sese depurantis uteri sistere, ex statu *virginum*, quibus menstrua parantur, et quibus tunc ubera turgere, sororiari, dolere, ac febrilia interdum symptoma \pm sub ascis observamus, manifeste docemur. Nec enim ad solam *lactis secretionem* tot motus excitari de-

cemus: cum nulla sit, quae febrim, tantasque turbas sibi exigat, secretio. Certe, quod in gravidis ad mammae *operitur*, — id sine stimulo insigni perficitur, secretionis sat ample in multis negotiis; nec sub ipsa mammarum sat magnâ, alio foeminae sub statu exorta, inflammatio, aequalia, per universum systema, symptomata, quam in puerpera *externo* succedunt, inducit. Quodsi febris, quam *lacteum* vocarunt, majorem ad gradum ascendet, neque lochia restituantur; non adeo in *mammariis* aegritudinem, quam in *metritis* (*§. 223.*), aut in *puerperalem peritonitidem* (*§. 217.*), illa mutatur; ac saepe, vano febris *lacteae* sub titulo, utriusque morbi pri-mordia, a medicis neglecta, in funestam puer-peris febrim converti cernuntur. Si major febris *lactea* in illis esse dicatur, quae robusto ac bene nutrito corpore incedunt: hoc non adeo ex lactis copia majore, quam haec ipsa major secretio, ex fortiori uteri in mammae actione, et ex lege stimuli intensioris repetendum est.

Utero humano a suis post partum recre-mentis, par superficialem quasi phlogosin ac febrem, quam *uterinam ephemera* dicere, quam *lacteum*, mallemus, repurgato; et ubera,

modo puero ad sugendum porrecta, tensionem, sensibilitatem majorem deponunt, atque lactis in dies copia, albedo, dulcedo, augmentur. Manifestus primae *suctionis*, ex mammis est in uterum depurandum, ut alibi (§. 467.) jam monuimus, effectus, atque sub quavis papillae sensilissimae tractatione, reliquas ex partu materno in sinu materias abundantius fluxisse, a foeminis percepimus. Hoc etiam beneficio, quae integras sese filiis matres non sint, aut quae suos lactitare non possunt, genitrices privantur; sed quamvis post paucas jam dies, chyli ad mammas torrentem, sub variis, et alibi dicendis, periculis, divertant; per longos tamen menses, vel etiam plurimos per annos, lactis portio aliqua in uberibus detegitur. Quae vero mammas puero sugendas offert, vel mater, vel nutrix: ea, modo satis nutriatur, nec totius, aut organi secernentis, vitio laboret, lactis quantitatem quae proli, etiam *gemellae*, aliis sine cibis, donec dentes, his quodammodo subigendis idonei, proruperint, nutriendae sufficiat, quotidie suppeditat. Non paucae adeo nutrices, praeter illam, quam pueri, ad plenam usque satietatem, suixerunt, lactis portionem, aliam, sat magnam, sponte ex uberibus

pluentem, deperdunt; sunt aliae, quae, alteram jam prolem in utero gerentes, primam, saepe sine damno illius, plures per menses, lactitarunt; — aliae, quae, forti sub febre constitutae, dilectum tamen filium tenero a sinu repellere nolentes, lac, a morbo nequaquam infectum, aridas sitientis in fauces, cum insig-
ni charitate, continuo stillarunt. Nec pau-
cas certe matres, quibus ubera primo a par-
tu, ad secundum, vel tertium, lacte, inter-
dum sat multo, nunquam caruerint, conspe-
ximus; et sic per annos in multis tam co-
piosa nutrientis principii ex uberibus, quin
morbum inducat, excretio continuat.

Morbosa
secretio.

§. 554. Sed aliter in aliis res utique suc-
cedit. Vel enim longiori temporis, quam
par est, intervallo, lactatio protrahatur; —
vel plures nutrix pueros simul aleandos assu-
mat; — vel a natura, nimio labore, neces-
sariae nutritionis defectu, jam debilis et vi-
ribus exhausta, vel aetate nimis tenera, et
proprii incrementi necessario sub opere, hoc
sibi onus imponat; — vel mo^{bi} diurno,
ac certa in phthisin pulmonalem dispositione
affecta, huic se officio accingat; — vel par-
tus partum nimis rapide, quin lactatio cele-

riorem, ut solet, conceptionem retardet, sequatur; — vel demum major, quam par est, chyli, nutrientis principii copia quotidie per ubera praecepit; in quovis certe casu, lactatio lenta materno corpori ex inanitate interitum praeparabit.

§. 555. Morbum vero ex lactis redundantia et profusione, cum tabe, seu corporis materni atrophia, productum, *galactirrhoeam* vocamus.

Definitio.

§. 556. Latiori tamen sensu hoc nomine, quam scholae quidem solent, hic utemur: nec modo consuetâ majorem ex uberibus secretionem, et sequentem ex ista, nutritionis jacturam, — sed quodvis lacteum ex mammis, quod corpus nutricis, propriarum sine virium notabili consumtione, perferrere haud possit, profluviū, *galactirrhoeam*, — illinc *completam*, — hic *incompletam*, dicemus. *Lac verum*, aliis inerdum ex partibus, quam per uberum papillas, profluxisse, nisi *chyrum*, sine quavis in corpore mammarum praeparatione, pro *lacte*, sine magno rationis fundamento, declaret velimus. quod genus profluviū *galactirrhoeam* erroneam vocarunt, non facile admit-

Divisio.

timus. *Chylum* per horas in sanguine, haud inultum sua ab indole mutatum, fluxisse, frequenter nos ipsi intelleximus. *Sanguinem* emissum sere *album*, prae rubro, colorem habuisse, — similem humorem, ptyalismi sub forma, per salivam, sub specie sudoris, ex oculis, umbilico, aliisque ex partibus distillasse, medicorum non paucae observaciones testantur. Sed quamvis *lac* e mammis resorptum, donec in *sanguinem* convertatur, hoc nomine venire, nil obsit; vix tamen ex solo effluentis materiae colore, vel ex aliqua in coeteris cum *lacte* similitudine, *lac verum* distillasse, aut *lacteam* in parte *metastasiu* subesse, cum aliqua certitudine asseritur (§ 219.). Interim non exiguum, *galactirhoeam* veram inter ac ipsum *diabeten*, affinitatem agnoscimus; ac forsitan non tam *lactis* ipsius, quam *principii nutrientis* major, quam par est, contenta in lacte mulierum quarundam, copia, *atrophiae*, ex moderata licet pueri suctione venientis, est causa. Quem alii viderunt, *diabetes chylosus* (§. 480.), aut *fluxus per renes coeliacus*, ut varii dixerunt; is certe cum ipsa *galactirhoea* haud parum conspirat; in hoc tamen, praeter locum originis, diversus: quod particulae nutrientes, ex lege naturae,

gravidarum puerarumque mammae per-
transeant, et ex causis plerumque minus ob-
scuris, earum copia naturalem excedat.

§. 557. Non *humana* modo foemina, sed ^{Symp:ma.}
universa animalium classis *mammalium*, huic
morbo subjecta esse videtur. Frequenter *vae-*
cae, ob summam lactis, quam, sub victu
codem, *prae sociis*, quotidie largiuntur,
quantitatem, *atrophicae* redduntur; ac talem
nuper vidimus, quae, in coeteris sanissima,
et pabulo permulto nutrita, vel hoc solo,
quod omnes ejusdem stabuli vaccas fere ter-
tia lactis optimi parte superaret, ad insignem
prorsus maciem reducta fuit.

. *Galactirrhoeæ* symptomata, ab illis, quae
tabem, ex humorum jactura lenta, quamcunque
aliam (§§. 475. 483. 516 546. 552.) circumdant,
haud differunt. Si vera lactis redundantia hunc
morbum producat: tunc niveus hic, et nu-
triens *præ aliis* liquor, vel sine *præmissa*
papillarum suctione, copiose ex *überibus*,
post paucas a pastu horas, effunditur sponte,
ac plurima, quae *mammis* apponit mulier,
lincea perenni hoc fonte profundius humectat.
Vel, sub lactis non tam insigni profluvio,
cum nutrientis in corpore materiae defectus

nutricem premat, aut alia, ex dictis (§. 554.), ratio praecesserit, majorem foemina ex quavis pueri suctione debilitatem persentit. Sub ciborum desiderio, et victu majoribus, macies quotidie increscit, debilitas a quovis corporis exercitio major, cordis palpitatio, dispnoea, tussis sicca, facies pallida, ad genas rubella, comparent. Hucusque febris a pulsu non proditur; sed aliquam temporis post moram, appetitus ciborum deletur: accedunt nauseae, symptoma nervosa, cephalaea insignis, tussis increscit, ac meridianas ad horas, praevio subinde horrore, calor levis excitatur, et sitis major, dolent artus ac dorsum, debilitas quotidie augetur: quam sudor succedens nocturnus graviorem mox reddit. Jam dolor thoracis, vel sterni, sub tussi, dispnoea, vel braehiorum sub motu, punctorius, — pulsusque duriores, celeres, sed parvi, haemoptysis ipsa, ac plurima affecti pulmonis indicia, sputum purulentum, tabes aperta, colliquativi sudores, vel alvi fluxus, lipothyiae, sequuntur. Sanguinis copiose ex mammis ruentis, ac liquidi assumti nec quidquam mutati, ex uberibus profusi, descripta ab aliis, exempla non vidimus.

§. 558. *Galactirrhoeae completæ* (§. 556.) **Causæ.**
causa, vel ex ipsa profluentis principii nu-
trientis jactura pernoscitur. Sed quid omnem
quasi *chylum* mulieris e sanguine, ad ubera,
quasi sola, perducat; id, nisi fortior pueri
avidioris, et jam nimis adulti *suctio* illustret,
non facile videmus. Nimia forsitan mamma-
rum sensibilitas, debilitas localis, aliquid con-
tribuit; sed novimus plures, ex *vacca* bonae
indolis, filias, lac aequæ copiosum ac pingue
dedit; alias, non absimili *haereditate*, sub
optimo licet pabulo, nec dimidiata quidem
lactis, non optimi, quantitatem concessisse.
Nec in foemina *humana*, id aliter succedere,
sed, familiae quasi jure, mammae lac pau-
cum, aut multum secernere videntur. Ipsa
forsitan matrum, proles ab uberibus arcendi,
aut singulas lacte proprio nutriendi, *consue-
tudo*, in filias actionem exercet. Nullius fere
partis, tanta, diversos inter Populos, quam
uberum, occurrit diversitas; et quamvis ipsius
ratio *vestitus* quamplurimum huc faciat; sunt
tamen integrae, in quibus ubera foeminas
vix multum exornent, — aliae, in quibus
mammae, sub vestitu licet iniquo, insignem
ob molem, deformes has reddant, provinciae.
Sed cum *pinguiora*, lactis non plurimum se-

cretioni favere, ubera sciamus; forsitan, unde eodemque istorum sub volumine, non minus, quam ex pabuli diversitate apud *vaccas*, meliorem, pro lactis copia, nutriendi virtute majori, certae regiones, quam aliae, cibum largiuntur; nec omnia, quae coeterum satis nutriunt, — sed certa in primis fercula, quod *nutrices* bene, — sed medici, has in res parum attenti, oscitanter nimis, distinguunt, augendo vel maxime lacti conducunt. Istrom hinc defectus, — crescentes, sub aucto indies labore, matrum rusticarum inediae, — protractum apud istas, ex novae prolis metu, aut praesentis amore, lactationis, ad pueri jam loquentis aetatem, officium, — lucri, apud *nutrices* pretio conductas, vel plures, vel diutius quam possint, filios nutrientes, cupido, potissimas tabis, ex lactei humoris jactura oriundae, causas nobis offerunt. Incompletæ causas *galactirrhœæ*, morbi praesentes, praegressi, ac nota corporis dispositio, interdum satis indicant; sed frequentius rationem, cur paucò a lacte pueris concesso, tam magna in multis debilitas ac macies sequantur, — hanc, ut alias morborum causas permultas, nimis ignoramus.

§. 559. Omissis prognoseos, quae ex dictis cura. (§§. 554. 557. 558.) jam satis eluent, momentis, ad ea, quae galactirhoeam sanent, accedimus. Nec tamen magna circa methodum huic malo opportunam dubia nos prevent; sed quivis, prolem ab uberibus quantocytus removendam esse, vel sponte concludet. Est tamen, et hoc in consilio, ne tam largam secretionem praecipitanter suppressamus, prudentis cautelae, et alicujus in separando a matre alumno cunctationis necessitas. Major quidem exhaustae nutricis debilitas, ut alia in tabe, alimenta nutritente principio ditiora expetere videtur; sed vix talibus mulieri concessis: qui sanguinem intravit, mox per ubera chylus praecipitat; atque hinc aliquam prius remoram huic poni, atque largiores cibos, donec profluvium per mammae moderari potuerit, suspendi necesse est. Nimum has ad glandulas affluxum varia infringunt; sed ne plenis, et a lacte turgentibus mammis indiscriminatim admoveantur, vetat facilis contenti lactis has ad partes stagnatio, ac in coagulum proclivitas; vetant varia, ex cohita celerius tam insigni secretione, timenda incommoda. Vidimus puerperam, quae, puerum lactitare recusans, ob insignem,

lacte, mammarum tumorem, vaporem aromaticum iisdem adhibuit. Jam altera die, ubera collapsa, — sed cruris dextri simul enormem, albissimumque tumorem, dolores atroces, per mensem et ultra extensos, observavimus. Hinc uberibus prius ab alumno depletis, ac tempore a cibis assumtis magis remoto, externa, quae chyli affluxum infringant, adhibenda sunt remedia. Tunc scilicet, cum tepido vini spiritu mammæ lavari, mox vero panno ex lana, vel emplastro diachylo obregi, et per fasciam, ne pendeant, ex collo, firmari queunt. Interea omnis brachiorum motus a muliere evitandus, pedes aliquoties in die tepidae immittendi, ac aliae, quae minus debilitent, secretiones moderate augendae sunt. Huc urinæ in primis, ac sudoris pertinet excretio: quam potu infusi salviae, sambuci aquoso, ac tepido, vel haustu salino, vel sale medio, ad eam quantitatem, ne alvum nimis moveat, porrectis, impetramus.

Postquam sic et puerum gradatim ab uberibus removimus, et nimium chyli ex cibis ingestis ad mammae impulsu, et lactis spontaneum ex istis dispendium fraenavimus; ad ea, quae vires nutricis restaurent, nutrientia, corro-

borantia remedia, sensim sensimque, secundum regulas jam alibi (§§. 475. 483. 516. 546. 552.) expositas, ascendimus. Hinc peruviani in primis corticis decoctum, infusum frigidum, martialia medicamenta, — sub febris vero lentae praesentia, elixir vitrioli, aer purus, serenus, potissimum auxilium suppeditant. A venaesectionibus, licet tussis, dispnoea ac dolor punctorius accedant, hic prorsus, nisi verae inflammationis signa compareant, abstinendum, et ad aquas *selteranas*, aut similes, cum lacte remistas, ad emulsionem arabicam, ad vesicans emplastrum loco dolenti, quin suppurationem hic inducat, applicandum, ad opium, noctis tempore, nisi maximus hucusudor impedit, porrigendum, veniendum est. Interdum gummi myrrhae, cum sale martis et cortice chiae (N. LXXI.) porrectum hic profuit. Si ulcus pulmonis his pectoris symptomatis, et tabi, ut causa, simul subfuerit; nec ista, nec alia quaecunque, vitam servabunt remedia.

De profluviis *purulentis* loquendi, hic locus esse, videri quidem posset; sed, praeter illud, quod pars plurima eorum, ad *chirurgicae* magis forum *scientiae* pertineat;

aliorum, *pyorrhoeae* praemittenda, cognitio
morborum, — ne ordini Naturae, cum
Nosologis, violentiam faceremus, nos, pauca,
quae his de fluxibus dicenda sunt, alia in
loca transferre induxit.



FORMULAE MEDICAE

IN §§. PRAECEDENTIBUS CITATAE.

Num. LIX.

Pulvis aluminosus.

RECIPE Aluminis , drachmam unam ,
Gummi arabici , drachmam dimid. ;
Misce , fiat pulvis , dividatur in quatuor par-
tesaequales .

N. LX.

" *Serum lactis aluminosum.*

R. Lactis vaccini , libram unam :
Ebulliat in vase terreo , dein adde
Aluminis , drachmam unam .
Lac coagulatum coletur per chartam empe-
reticam .

Lib. V.

T

N. LXI.

Tinctura cantharidum.

- R. **Cantharidum contusarum**, unciam dimid.
Spiritus vini rectificati, libram unam.
Digere per triduum, et filtra.

N. LXII.

Tinctura thebaica.

Vid. Formul. Medic. N. XVIII. NB. *per errorem*, novo hic numero indicata est.

N. LXIII.

Solutio opii.

- R. **Opii puri**, grana quindecim,
Solve in
Aqua distillatae uncis decem.

Cola.

N. LXIV.

Solutio opii saturnina.

- R. Opii puri, grana quindecim,
Solve in
Aqua distillatae unciis decem; adde
Sacchari saturni, grana decem.

M.

N. LXV.

Injectio mercurialis.

- R. Mercurii sublimati corrosivi, gran. unum,
Solve in
Aqua distillatae fervidae uncia una.
Detur pro usu externo.

N. LXVI.

Vitrioli solutio.

- R. Vitrioli albi, granum unum,
Solve in
Aqua distillatae uncia una.

Cola.

N. LXVII.

Lapidis caustici solutio.

R. Lapidis caustici chirurgorum, drachmam
dimidiam,

Solve in

Aquae distillatae unciis sex.

Cola per chartam emporeticam.

Detur *pro usu externo.*

N. LXVIII.

Solutio myrrhae.

R. Sacchari saturni, drachmam unam,

Solve in

Aquae distillatae unciis sex; adde

Liquaminis myrrhae, uncias duas,

Tincturae thebaicae, unciam unam.

M.

N. LXIX.

Injectio vaginalis alumin.

R. Aluminis,

Vitrioli albi, ana drachmam unam,

Solve in

Aquae ebullientis, pinta una.

Frigida colentur per chartam.

N. LXX.

Injectio vagin. mercur.

R. Mercurii dulcis,
Gummi arabici, *ana* drachmam unam;
Aquae calcis,
Fontis, *ana* uncias duas.

M.

N. LXXL

Mistura corroborans.

R. Myrrhae electae, drachmam unam,
Solve terendo in mortario cum
Infusi chamomillae, unciis sex,
Aquae cinamomi, uncia una; adde
Salis martis, grana quindecim,
Syrupi corticum aurantiorum, unc. unam.

M.

Finis Lib. V.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
17	24.	defraudantur	defraudatur
19	23.	exasperetur	exasperatur
25	16.	quae :	quae (
26	3.	secernitur :	secernitur) :
27	15.	latero	latere
39	10.	excernentes	exercentes
47	14.	uncias	unciae
108	12.	effectu	affectu
135	19.	epiglottitis	epiglottidis
148	19.	curavatura	curvatura
180	11.	accendit, fluorem accendit . Fluorem	
190	17.	exterius	externis
210	19.	inferiore	inferiora
228	3.	descenderet	descenderat.

